








DE HISTORIA

MARIS CASPII.

SCRIPSIT

D. AUG. GUIL. KEPHALIDES.



PRAEFATUS EST


A. H. L. HEEREN,

HIST. PROF. REG. M. BRIT. A CONSILIIS AULAE.

GOTTINGAE,

APUD VANDENHOEK ET RUPRECHT.

1814.



Geographiae antiquae ambitus tam late patet, ut immensum hunc campum percurrere simul, ac singulas regiones accurate explorare, vix uni homini concessum esse possit. Quid quondam Cellarii, quid nostra aetate Mannerti curis effectum sit, ante omnium oculos positum est; supersunt tamen in-

 numera,

numera, quae ſine ſingulari disquiſitione, cui in geographia univerſali locus eſſe non poteſt, ad liquidum perduci nullo modo poſſunt. Quod itaque in aliis disciplinis fieri cum fructu videmus, ut ſingula loca a ſingulis viris tractentur, idem quoque in geographia antiqua inſtitui neceſſe eſt. Egregiis hoc exemplis docuit jamdudum geographorum recentiorum princeps DANVILLIUS, in antiquae Aegypti, Indiae, Meſopotamiae, aliarumque regionum deſcriptionibus; quibus mox Germanorum quoque, GATTERERI ac aliorum ſtudia incenſa eſſe, nemo in his litteris paulo verſatior ignorat.

Pertinet ad haec loca, ſeveriori disquiſitioni ſubiicienda, ſi quis alius, *maris Caſpii hiſtoria*; de quo in tam di-

diverſa abeunt geographorum tradita, ut vix duo ex iis invenias, quae inter ſe conveniant. Sive enim maris ipſius formam, ambitum, naturam, ſive fluminum in illud ſeſe exonerantium nomina, curſus, oſtia ſpectes, plena omnia errorum, vel dubia ſaltem ac incerta reperies. Quae quamvis geographiae univerſalis auctoribus attingenda utique fuerint, minime tamen omnia expedire potuere; qui autem peculiari diſputatione haec expoſuerit, quantum quidem mihi innotuit, exſtitit nemo. Quare, cum V. Cl. Kephalides, Vratislavienſis, mihi, dum in academia noſtra verſaretur, non inter auditores modo adſcriptus, ſed amicitia quoque ac conſuetudine conjunctus, doctrinae vero copia non minus quam indolis morumque ſuavitate carus, poſt reditum

 in

in patriam summos in philosophia honores ab Academia nostra peteret, ac pro eruditionis specimine disputationem hanc *de maris Caspii historia* Ordini Amplissimo exhiberet, ipse ego suasor ei fui, ut eam imprimendam curaret, ac publici juris faceret. Tantam enim in ea deprehendi doctrinae simul varietatem, ac ingenii subtilitatem, ut quae, antea vel plane obscura vel incerta saltem essent, jam ita in aprico posita sint, ut suum quisque judicium de iis ferre possit. Meum quidem non est in laudes ejus amplius excurrere, cum facile sese ipsa commentatio lectoribus commendatura sit; locum tamen tantis tenebris obsitum jam in lucem protractum esse, et ipse gaudeo, et alii geographiae antiquae studiosi mecum gaudebunt.

Exci-

Excitabuntur forte, auctoris doctissimi exemplo, aliorum quoque studia; superesse enim in Asiae antiquae geographia plura, singulari disquisitioni subjicienda, neminem, harum rerum peritum fugere potest. Nam ut ea taceam, quae ad regionum longinquarum situm ac populorum sedes pertinent, similem operam, quam hic in mari Caspio positam videmus, flagitat et Pontus Euxinus, cum palude Maeotide, cui nostra hac commentatione quodammodo praeluditur; et sinus Arabicus cum insulis quas continet, cui amplissimam materiam suppeditabunt quae, qui ultimus mare illud invisit generosissimus DE VALENTIA, in Itinerario suo de eo disputavit. Quae quidem vota, num eventum habitura sint, fatis relinquendum est; nobis interea iis

frui

frui liceat, quae hic nobis propofita videmus.

Gottingae, d. 22. Junii
MDCCCXIV.

CONSPECTUS.

PARS PRIMA.

CA-

PARS ALTERA.

CAPUT

CAPUT I.

DE HISTORIA MARIS CASPII.

Cum innumera fere in geographia antiqua sint, de quibus a vetustiori inde aevo, usque ad recentiorem aetatem acerrime sit disputatum, neque tamen inter viros doctos convenerit: idem quoque de Caspio mari accidisse eo magis forsitan mirandum videtur, quod clima ejus neque in septentrionem ita est depressum, neque tam longe in torridam coeli plagam vergit, ut prae aeris iniquitate adiri non potuerit, sub eodem quippe latitudinis gradu, quo Italia situm; quod, ab altero certe latere, circumhabitantes populi non tam efferatis incultisque moribus sunt, Persarum enim et Armeniorum oras adluit, ut per illorum

A terram

terram iter facere non licuerit; denique quod in terrarum parte haud inhospitabili situm, imo cultissimae Asiae regioni conterminum, perpetuis populorum ibi incolentium motibus, migrationibus et bellis obvium multis ducibus, in his ut ignobiliores taceam, Cyro in expeditione contra Massagetas, Alexandro in bello Persico, Pompejo in bello Mithridatico; medio aevo Tatarorum duci Dsingiskhans [1]) postremo, longo quidem temporis spatio interjecto, Petro primo, Russorum imperatori, tentatum est. Nec, si Caesarem, inopinata mors non oppressisset, ut, quam animo volvebat [2]), expeditionem in istas regiones perficere potuisset, Mare Caspium tam diu neglectum et ignotum jacuisset.

Quapropter a proposito haud absonum videtur praecipuas causas eruere, quibus factum est, ut illud mare, inde ab Herodoto nulli veterum in hoc genere scripto-

rum

1) Abulgasikhan hist. Tart. c. 17.
2) Plut. in vit. Caes. p. 1348.

rum non memoratum, in tam varios errores geographos induxerit, ac praeterlapso demum saeculo e situ quasi ac tenebris in clariorem lucem pervenerit.

Ac primam quidem hujus rei caussam patet in ipso maris situ esse positam, quamquam primo obtutu contrarium evinci posse videatur. Nam cum nulli mari commissum sit, nec flumina per cultiores regiones labentia in se recipiat, navigandi in hoc mare opportunitas non aderat. Quamquam enim a meridionali et occidentali latere opulentissimis ac feracissimis terris cingitur, Hyrcania nempe [3]), Media, Albania, Septentrionem tamen et Orientem versus, arenosa tantum deserta in immensum spatium porriguntur, in quibus prorsus nihil provenit, quod alterius lateris accolas, ut, mercaturae

3) PETRUS DELLA VALLE pars II. epist. 4. et STRABO lib. XI. p. 776. ex ed. ABMEL. ἡ δ' Ὑρκανία σφόδρα, εὐδαίμων; in primis 766 et 67 de regionibus circa Cyrum fluvium.

turae faciendae causa, periculosa istius maris fluenta sollicitent, compellere possit. Quare cum in nullam prorsus cultiorem terram via per hoc mare pateret, viae enim mercatorum frequentissimae per Maracanda Caspium mare non attingebant, neglecta ejus navigatio est. Quod secus in sinu Arabico evenisse videmus, in quo, post vetustissimam hominum memoriam, quamquam littora ejus multo magis deserta sunt, navigatio ventis etesiis ibi spirantibus multum adjuta semper floruit, quoniam via in Indiam per hoc mare patebat. Orientales vero Caspii maris accolas, quippe Nomadas admodum incultos nulla urgente necessitate, se turbulentis hujus maris fluctibus non committere, vel per se quisque intelligit. Quae cum ita sint, simul manifestum est, cur urbes istarum regionum, Cyropolis, Alexandria, ceterae tum Persarum tum Macedonum coloniae, ut inde merces in mare Caspium devehi possent, exstructae, et, ut recentiorum temporum exemplum adferamus, Taschkent,

Ton-

Tonkat et Tehrabad a celeberrimo Persarum rege Schach Abbas conditae, nunquam opibus admodum floruerint.

Altera causa e natura et indole hujus maris recte derivatur; quod cum infra pluribus explicaturi simus, hic obiter attingere liceat. Perspexerat rem jam STRABO, quod ex hisce ejus verbis [4]) patet: τῆς μὲν τοι προσηκούσης ἐπιμελείας οὐκ ἔτυχεν, οὔτε αὐτὴ (sc. Hyrcania) οὔτε ἡ ἐπώνυμος αὐτῇ θάλαττα; ἄπλους τε οὖσα καὶ ἀργος κ. τ. λ.

Omnium, qui istas regiones descripserunt, auctorum testimoniis [5]) constat, vix unum in Caspio mari portum reperiri, qui navibus stationem satis fidam praebeat. SALLUSTIUS [6]) de mari Caspio dicit: "Mare saevum, importuosum", quod, uti Corte exponit, procellis est expositum, nec

4) STRABO lib. XI. p. 776.

5) FERRIERES-SAUVEBOEUF I, 23. JENKINSONIUS.

6) SALLUST. Jugurtha XVII. 5.

nec in littore habet portus [7]. Navigant quidem in hoc mari accolae circa urbes Bacu et Fehrabad habitantes, sed, diverticulo, quo se recipiant, destituti, oram legunt, nec in altum procedunt. Unicum vero portum, quem hoc mare habet, in orientali deserto littore situm, navigationem nullo modo juvare posse patet. JENKINSONIUS in itinerario suo eum Manguslave appellat et Chorasmiae, sive hodiernae Chowarezmiae adscribit: Minkischlack vero non Manguslave vocatur secundum OLEARIUM [8]. Alium portum neque antiquis temporibus habuit, neque nunc habet, quippe recessus littorum ad urbes Raescht, Fehrabad, Afterabad et Balfrusch in provinciis Khilan et Mazanderan, ne dicam portus, ne stationes quidem sunt, quae

naves

7) POMPON. MELA de situ orbis lib. III. c. 5. v. 3. hoc mare appellat: atrox, saevum, sine portubus, procellis undique expositum, ac belluis magis quam aliis refertum et ideo minus navigabile.

8) OLEAR. IV. 16.

naves ut vel levissima tempestate coorta, ab interitu defendere possint.

Aliud praeterea idque gravissimum natura maris Caspii navigationi objicit impedimentum [9]), brevia scilicet et vadosa, circa littora ejus, loca et oblimata fluviorum, inprimis Volgae, sive Rha fluminis, ostia. Unde fit, ut naves onerariae paullo majoris molis ex urbe Astracan aliisque maritimis urbibus solvere non possint; minores vero naves, cum in altum processerint, ventorum et undarum impetum sustinere non valeant [10]). Quare omnes, quae in hoc mari vela faciunt, naves, ne sabulo impingantur, latissima carina utuntur [11]), ideoque celeri cursui plane non idoneae, nec majorum onerum capaces sunt.

Ad

9) Petrus della Valle III. p. 235. Ferrieres-Sauveboeuf I. 23.

10) Petrus della Valle II. 4.

11) Cf. Olear. P. u. Mosc. R.

Accedunt periculoſiſſimae, quibus ma-gis quam cetera [12]), hoc mare aeque ac vicinus pontus, infeſtatur, tempeſta-tes et undarum breviorum, quae dicun-tur, impetus vix tolerabilis, quem probe expertus eſt Olearius [13]). Notum eſt, undas, quae in oceano totum orbem terra-rum ambienti volvuntur, multo majores quidem et altis collibus ſimiles eſſe, at longe minorem vim et damnum navibus inferre, quam eas, quae in mari Mediter-raneo, Ponto et Caſpio mari ſaeviunt. Iſtae enim majores navem nunc ſecum at-tollunt, nunc deprimunt, hae breviores vero, quo crebriores veniunt, a littore ma-ris in anguſtum coarctato repercuſſae, eo majori vehementia latera navis verberant et fatigant. Propter tempeſtates vero hoc mare jam ab antiquiſſimis temporibus tant-opere diffamatum erat, ut Perſae a ſpectris id infeſtari crederent [14]).

Tertia

12) Cf. Mela III. 5.

13) Olear. Perſ. u. Moſc. R. IV. p. 11.

14) Cf. Anquetil. ſur les anciens langues de

Tertia denique caussa, cur hoc mare tam diu absconditum latuerit, a circumhabitantium populorum indole repetenda videtur. Quamquam enim non undique feris barbaris cingitur, cum magnam orae partem Persae occupent, tamen inde nullum ad Geographicam hujus maris notitiam redundare potuit emolumentum, quia barbari non solum omnem navigationem impediunt, verum etiam cultiores Persae rei nauticae tam imperiti semper fuerunt, et nostris praecipue temporibus adhuc sunt, quam vix alius antiquioris vel recentioris aevi populus, quod tum ex antiqua eorum historia, tum recentiorum auctorum testimonio satis superque patet [15]). Neminem enim fugit, in bello contra Graecos robur classis Persicae fuisse naves Phoenicum et tamen turpi clade ubique fere con-

de la Perse in Mémoires de l'Acad. d. Inscr. tom. 31. p. 373. Cf. STRABO XI. 776.

15) PETRUS DELLA-VALLE III. p. 235.

confusam esse, nisi quum Graecus dux, qualis Conon, ei praeesset. In bello quidem contra Alexandrum Memnon forsitan majora perpetrasset, nisi inopinata morte absumptus fuisset. Praeterea Persae longinquis navigationibus, ut Graeci, Phoenices, Carthaginienses, alii, nunquam operam dederunt, cum mercaturam omnem pedestri itinere facerent, nec terra ipsorum situm navigationibus faciendis aptum haberet, nec fluviis, in quibus navigia incedere possent, irrigaretur. Solus sinus Persicus, in quem Euphrates et Tigris deferuntur, navigationi faciendae admodum favet, unde ista regio, usque ad murum Medium, quae nunc dicitur Irak Arabi, post hominum memoriam opulentissimis urbibus, Babylone, Ctesiphonte, Seleucia, et seriori aetate Bagdad, Bassora et aliis insignis fuit. Cetera vero Persici regni ora maritima Carmaniae et Gedrosiae, inter desertissima terrarum loca referenda sunt; quod Alexandri expeditione terrestri et difficili NEARCHI paraplo, nec non recentiorum temporum

pere-

peregrinationibus comprobatum; unde non mirum, quod versus meridiem Persae non susceperunt longinquas expeditiones maritimas. Et multo minus etiam hoc versus Septentrionem, per regionum illarum indolem et Caspii maris situm atque naturam iis licuit. Neque omnino mare Caspium navigari solebat, nisi propter piscationem. Quare cum natura Persas terra valere voluit, mari quoque pollere eos negavit. Recentiora vero tempora quod attinet, OLEARII, TEVERNIZII, CHARDINI, PETRI DELLA VALLE et aliorum testimonio constat, Persas rei nauticae peritiores factos non esse.

Cum igitur tam parum a cultioribus Persarum moribus sperandum sit, facile, quantum a circumhabitantium barbarorum feritate timendum sit, me non monente quisque intelliget. Imo vero totum occidentale et orientale latus ab iis, qui mare accolunt, infestatur, ut, quicunque ventis contrariis vel naufragio in eorum oram delatus sit, si non vitam, certe bona et

liber-

libertatem amittat [16]). Talis eſt Circaſſio-rum ſeu Tſcherkeſſorum indoles; nec barbaris verſus Ortum habitantibus mitiorem indolem eſſe, infelici expeditione, quam juſſu Petri I., Ruſſorum imperatoris, BECKOWITZ ſuſcepit, comprobatum eſt.

Potioribus hisce argumentis ſatis luculenter demonſtraſſe mihi videor, qui factum ſit, ut mare Caſpium acumen et doctrinam geographorum per tot ſaecula fefellerit; progrediamur nunc ad ipſam Maris Caſpii hiſtoriam, de qua, antequam de ipſo mari diligentius diſputemus, pauca adjicienda eſſe videntur. Sed ut res ordine procedat, ordiamur ab antiquiſſimis hiſtoriae monumentis, hoc eſt, a libris ſacris Hebraeorum.

Difficillima quaeſtio eſt, num mare Caſpium ſacris Hebraeorum libris plane ignotum fuerit, nec ne. Non deſunt loci, qui, ſecundum explicationem quorundam interpretum, Hebraeos regionum circa mare Caſpium jacentium prorſus ignaros non fuiſſe [illegible] de-

16) PETRUS DELLA VALLE II. 4.

demonstrant. Princeps locus est in Genesi [17]). Describitur ibi Paradisi situs et nominantur quatuor flumina, quibus irrigatum fuerit; ac duo posteriora nomina Chiddekkel et Phrat non dubitatur, quin ad Tigridem et Euphratem pertineant [18]); paullo difficilius est explicare quorsum primus Phischon [19]) referendus sit. Cum tamen sonus Phasidis fluvii huic nomini admodum cognatus esse videatur [20]); Phasis vero borealis imperii Persici tunc cogniti ultimus finis, idemque ex STRABONIS [21]), DIONYSII PERIEGETAE [22]) et aliorum testimoniis maximus

et

17) Genesis l. II. v. 12. 13.

18) Cf. Daniel 10. 4. ROSENM. Sch. ad h. l. Gen. 2. 14. HARTMANNS Aufklär. über Asien tom. I. 275.

19) V. 11.

20) Cf. HASSE über das Parad. p. 45. RELANDIN dissert. miscell. T. I. Trajecti. 1713. p. 1-55. HARTMANNS Aufklär. I. p. 251.

21) STRABO XI. 761.

22) DIONYSIUS PERIEGETES v. 691.

et violentissimus sit, eoque ab auctore Hebraeo, quem majora Asiae orientalis flumina latebant, silentio non praetermissus; cum Phischon terram Chavila aura abundantem transire dicatur; Colchis vero non solum ex veterum scriptorum opinione [23]), quod et Argonautarum expeditio inprimis testatur [24]); sed et recentiorum testimonio [25]) aurum suppeditet, quin per Phischon [26]) Phasim et per Chavila Colchidem recte intelligamus, in dubium vocari non potest. Videmus igitur Hebraeis occidentale Caucasi latus, quod ad Pontum vergit, haud incognitum fuisse. Num vero orientale latus et terras circa Caspium mare cognoverint, ex difficillima versus decimi tertii interpretatione pendet. Legitur, isto loco alterum flumen dici Gihon et per totam terram Kusch labi. Plurimum

23) STRABO I, 76. II.

24) APPIAN. de bello Mithrid. PLIN. 33. c. 4.

25) Descript. du Caucase. Peterb. 1804.

26) MICHAEL. Specil. II. 135. cum Araxe commutat.

mum negotii interpretibus facessit quaestio, ad quem fluvium recte ille Gihon referendus sit, neque haec quaestio a nostro proposito aliena est; cum fere omnium sententiae in eo conveniant, ut fluvium quendam Caspio mari illabentem intelligendum putent; sed cum de his fluviis infra copiosius disputaturi simus, hic omissis, quibus inter se litigarunt viri docti, rationibus, summam rei tantum adferemus.

Cum versu decimo expressis verbis dicatur, hos quatuor fluvios communi quadam origine ortos esse; procul dubio Caucasi dorsum in Armenia intelligendum est, unde ex divortio aquarum in utrumque Caucasi latus, cum multa alia flumina, tum propior Euphrates, Tigris et paulo propior septentrionem Phasis; et proxime a fontibus Euphratis Araxes, delabuntur. Eorum igitur opinioni adstipulandum videtur, qui nomen Gihon ad Araxem referunt, cum ita scriptor Hebraeus, a septentrionali flumine Phaside incipiens, ad Araxen vicinum et cete-

ros,

ros, justo ordine servato, pergat. Quod autem terram Kusch attinet, cum fines ejus admodum vagi incertique sint; sic enim quaecunque terra dicitur, cujus incolae nigriore sunt colore, eam usque ad Araxem proferre multo satius esse videtur, quam ad Oxum, quem alii Gihon esse putant, si quidem ad eum usque terminum notitia Hebraeorum geographica vix pertingebat; alioquin in Genesi [27]), ubi omnes populi Hebraeis cogniti recensentur, populorum ab orientali maris Caspii latere habitantium mentio inserta esset; et Colchos nigro colore, eoque pro Aegyptiorum colonis habitos fuisse, multis veterum scriptorum locis constat [28]). PINDARUS [29]) dicit: — ἐς Φᾶσιν δ᾽ ἔπειτεν ἤλυθον, ἔνθα κελαινώπεσσι Κόλχοισιν βίαν μῖξαν. HERODOTUS [30]) eos μελάγχροας et οὐλότριχας

27) Genesis c. 10.

28) Quos vide apud BOCHARTUM in Phaleg et Canaan lib. IV. c. 31. p. 323 sq.

29) PINDAR. Pyth. 4. 376.

30) Cf. Orph. Argon. V. 472.

χας fuiſſe obſervat. Porro ſcriptores eccleſiaſtici Colchos Aethiopes appellant, ſic Hieronymus in Catalogo de Apoſtolo Matthja "in altera Aethiopia, ubi eſt irruptio Apſari et Hyſſi portus praedicavit (Matthias ſc.) evangelium". Alteram vero Aethiopiam Colchidem eſſe inde patet, quod Apſarus fluvius, et Hyſſi portus, in Colchide ſiti, nominantur; et Sophronius de Andrea: ὅπου ἐστὶν ἡ παρεμβολὴ Ἀψάρου, καὶ Φάσις ὁ ποταμὸς, ἔνθα οἰκοῦσιν Αἰθίοπες οἱ ἐσώτεροι. Quae cum ita ſint, Gihon illum in Araxem et terram Kuſch in regiones intra Caſpium mare et Pontum ſive Colchidem latiori paullo ſenſu ſumptam optime quadrare, nec Hebraeos iſtarum ſeptentrionalium regionum ignaros fuiſſe videmus. Quid? quod ultra ipſum Araxen terras cognoverunt. Nam Amos [31] Syros e regione Kir deductos eſſe narrat; haec vero regio recte ad terras circa flumen Cyrum, quem accolae Kur ſeu Kiir dicunt, trans-

31) Amos c. 9. v. 7.

transfertur, ut sit Iberia [32]). Alii quidem de aliis regionibus interpretati sunt. Huic accedit, quod ipse Abrahamus ex terris inter Caspium mare et Pontum sitis egressus est [33]) et Hebraei provincias, quas Caspium mare, meridiem et occidentem versus alluit, omnino noverunt, quippe secundum BOCHARTUM [34]) populi Meschech et Tubal sint Moschi et Tibareni, in quorum sedibus describendis licet varient veteres, tamen ex testimonio STRABONIS [35]), POMPONII MELAE [36]), PLINII [37]), eos Caspio mari vicinos fuisse constat. Neque populorum Chul [38]) et Gether sedes alibi, quam circa

32) Cf. MICHAEL. supplem. ad lex. hebr. p. 2191. et ej. Spicileg. geogr. Hebr. extr. tom. II. p. 121.

33) Cf. MICHAEL. Spicil. II. 135 et 73. BOCHART. Phaleg. II. 4. 5.

34) Phaleg. III. c. 12.

35) Ed. ALMEL. 762. 763.

36) De situ Orbis lib. III. c. 5.

37) PLIN. hist. nat. lib. I. c. 6.

38) Gen. X. 23.

circa Caspium mare quaerendae [39]. Ex hisce omnibus, quae attulimus, patet, Hebraeos terrarum ad Caspium mare pertinentium optimam habuisse notitiam: sed eo magis mirandum est, quod ipsius Caspii maris vetustiores Hebraeorum scriptores plane nullam mentionem, quantum mihi compertum est, fecerunt, quum tamen non solum circumjacentes terras, sed etiam duo flumina, Cyrum et Araxem, in illud mare illabentia, noverint. Ex eo ipso, quod veterrimus secundi Geneseos capitis auctor, quo sese effundat Gihon, non adjecit, forsitan quis colligat, eum Caspii maris plane ignarum fuisse, quia alioquin ostia fluminis tam magni non tacuisset. At neque fluviorum Phrat et Chiddekkel, i. e. Euphratis et Tigridis ostia indicat. Quodsi tamen Hebraei aliquam Caspii maris notitiam habuerunt, de quo vix dubitandum videtur, ea certe admodum obscura et vaga fuit,

39) Cf. Bochart. Phaleg. II. 9. 10. et Michael. Spicil. II. 135. 138.

fuit, ut erat Hebraeorum in rebus geographicis negligentia et incuria, ac procul dubio pro finu maris feptentrionalis habuerunt, quippe quos feptentrionalium et orientalium Cafpio mari adjacentium terrarum cognitio plane fugeret. Quamquam enim permultis populos Gog et Magog 40) diverfiffimis nominibus explicatos in Tartariam five Scythiam Transoxanam locare placet 41) haec omnia tamen tot tantisque difficultatibus laborant, ut pro certo aliquid affirmare temerarium foret. Neque a populo a mercatura prorfus alieno, colonias non deducente nec navigationi operam dante, quidquam, quod geographiae lucem admoveret, exfpectandum eft.

Ex

40) Gen. X. 2.

41) Cf. BOCHARTUM III. 13. et MICHAEL. Spic. I. 24. praecipue ASSEMANNUS bibl. Orient. T. III. P. II. p. 16 et fq. et HERBELOTUM bibl. Orient. f. v. Jagiouge et Magiouge. BAYERI opufcula edd. KLOTZIUS p. 65. five in Comment. Acad. Petrop. Vol. I. Ezech. 38. 39.

Ex iisdem fere caussis Aegyptios silentio transire licebit, quippe qui, quamvis apud eos geographiae studium, ut Graeci perhibent, per ἱερογραμματεῖς 42) floruerit, disquisitiones suas geographicas non in illam Asiae partem a semet remotissimam dirigebant, neque omnino, suis ipsorum rebus intenti, peregrinas terras curabant.

Plura forsitan a Phoenicum sollertia et rei nauticae peritia fuissent speranda, nisi navigationes suas in longe aliam coeli plagam, itinera vero terrestria in Indiam direxissent nec omnia eorum de re geographica scripta injuria temporum periissent.

Hos omnes igitur missos faciamus, nam neque a Persis, uti monuimus, quamvis istius maris adcolis; propter navigandi imperitiam geographiae istius maris lux admota est, et ad Graecos nos convertamus, quorum de hoc mari testimonia frequentissima,

42) Cf. Clemens Alexandr. Stromat. lib. VI.

ſima, quamquam admodum discrepantia ſunt. Sed neque ab iis, quantum quis exſpectaret, notitia hujus maris illuſtrata eſt, cum in meridiem potius navigarent coloniasque deducerent, ſi Cherſoneſum exceperis. Praeterea illud mare cum mediterraneum ſit, per ſe patet pedeſtribus tantum itineribus pernoſci poſſe; Graeci vero, licet aliquoties Aſiae arma intulerint, praeſertim in bello Perſico, deinde Xenophonte et Ageſilao ducibus, in neutra expeditione usque ad mare Caſpium penetrarunt. Quapropter omnem de Caſpio mari notitiam ex dubia eorum fide hauſerant, qui, per mediam Aſiam, ad Sacas aliosque orientales populos mercatum proficiſcebantur; neque aliter ac de mercatoribus intelligendus eſt locus apud HERODOTUM [43]: τὴν μὲν γὰρ (ſc. κασπίην θάλασσαν) Ἕλληνες ναυτίλλονται πᾶσαν. Quam incerti vero et ambigui mercatorum nuntii ſint, vel ex iis intelligi poteſt, quae Phoenices de mari externo vulgaverant; cui accedit, quod

43) HEROD. lib. I. c. 202.

quod nulla istarum viarum, quibus mercatores utebantur, Caspium mare attingebat, cum per Bactrianos et Maracanda praecipue iter facere solerent [44]). Ex hoc fonte plerique isti errores, quos Graeci circa mare Caspium et ipse STRABO admiserant, profluxisse mihi videntur. Alexandri Magni autem expeditio, cum longe maximam orbis veteribus noti partem illustrare potuisset vereque illustraverit, illam tamen mediae Asiae plagam perturbavit, ejusque geographiam pervertit, quod, infra etiam notandum, STRABONIS testimonio adfirmare volumus, qui in geographicis suis haec dicit [45]): προσεδοξάσθη δὲ καὶ περὶ τῆς θαλάσσης πολλὰ ψευδῆ διὰ τὴν Ἀλεξάνδρου φιλοτιμίαν. Caucasus quippe a scriptoribus historiae Alexandri Magni in Indiam translatus, Jaxartes Tanais nuncupatus et septentrionalis Caspii maris pars cum Maeo-

44) Cf. HEEREN Ideen M. I. et mappa geogr. adjecta.

45) STRABO lib. XI. ex ed. ALMEL. p. 777.

Maeotide palude permutata est. Qui fit ut STRABO pejorem etiam de hoc mari habuerit sententiam quam HERODOTUS, quod infra demonstrabitur, pessimam vero ARRIANUS, celeberrimus alioquin et fide dignissimus rerum gestarum Alexandri Magni scriptor. At summum tamen in geographiam emolumentum ex Alexandri expeditione redundare potuisset, cum, quod aeterno ipsi est honori, nullus unquam priorum et posteriorum temporum imperator, tanto incognitas terras pernoscendi studio flagraverit; quod vel expeditio ejus jussu sub auspiciis Nearchi suscepta, et consilia docent, quae secundum ARRIANUM [46]) de circumvectione Arabiae et totius Africae animo volvebat, quaeque nisi maturius vita decessisset, exsecuturum eum fuisse, insitus ejus fervor, qui eum quasi praecipitem agebat, testatur. Sed omnium maxime dolendum est, quod ne istam quidem expeditionem, de qua ARRIANUS [47]) loquitur, perfecit. (Scriptores

46) ARRIANUS VII. 1. 1. et sq.
47) Lib. VII. 16.

tores orientales contendunt quidem Alexandrum Magnum ad pylas usque, quae Derbent vocantur, penetrasse, sed is Alexander non idem est, ac Macedo iste, cui nomen apud orientales Dalcarnain, sed vetustior isto) [48]. Scribit enim Alexandrum Heraclidem in Hyrcaniam misisse, ut excisa e montibus ad naves fabricandas materia, in mari Hyrcano navigationem institueret: πόθος γὰρ εἶχεν αὐτὸν καὶ ταύτην ἐκμαθεῖν τὴν θάλασσαν τὴν κασπίαν τε καὶ Ὑρκανίαν καλουμένην, ποίᾳ τινὶ ἐμβάλλει θαλάσσῃ. Quae omnia tunc urguentibus negotiis districtus et paullo post vita morte interceptus omisit. Quanta vero circa hoc mare istorum temporum ignorantia fuerit, ex Arriano patet (l. c.), quippe qui dubitet, an Caspium mare committatur τῇ (θαλάσσῃ) τοῦ πόντου Εὐξείνου, ἢ ἀπὸ τῆς ἑώας τῆς καθ' Ἰνδοὺς ἐκπεριερχομένη ἡ μεγάλη θάλασσα ἀναχεῖται

48) Cf. Herbelotus in bibl. orient. s. v. Escandre.

ται εἰς κόλπον τὸν Ὑρκάνιον· οὐ γάρ πω ἐξεύρηντο αἱ ἀρχαὶ τῆς Κασπίας θαλάσσης. Talia ne STRABO quidem somniaverat et, uti postea videbimus, HERODOTUS et ARISTOTELES rectissimam de hoc mari profitentur sententiam. Nihil itaque Alexandro debemus, quippe post quem geographia hujus maris et circumjacentium terrarum in pejus ruerit. Cujus rei caussam STRABO [49]) ita explicat: Cum ea Asiae pars, quae est inter Tanaim et Mare Caspium, ubi Hamaxovii habitant, Alexandro non paruisset, hoc nancisci voluerunt scriptores rerum ab eo gestarum, ut fama saltem Alexander his regionibus imperitasse videretur, ideoque in unum coegerunt Lacum Maeotidem, qui Tanaim recipit et mare Caspium, λίμνην καὶ ταύτην καλοῦντες, Quo factum, ut Isthmus inter Tanaim et Caspium mare plane evanuerit: καὶ συντετρῆσθαι φάσκοντες πρὸς ἀλλήλα ἀμφοτέρας, ἑκατέραν δὲ εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας. Sed neque post Alexandrum geographiae illustran-

49) Loc. c. lib. XI. p. 777.

lustrandae studium inter Macedones prorsus evanuit, imo vero, teste Plinio [50]) "Seleucus et Antiochus, praefectusque eorum classis Patrocles, in Caspium mare circumvecti sunt. Juxta vero ab ortu ex Indico mari sub eodem sidere (id est, plaga coeli) pars tota vergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis Seleuco atque Antiocho regnantibus, qui et Seleucida atque Antiochida ab ipsis appellari voluere. Circa Caspium quoque multa Oceani littora explorata parvoque brevius quam totus, hinc et illinc Septentrio eremigatus".

Neque Romanis intentatum est hoc mare; quippe Pompejus in bello Mithridatico in illis regionibus belligeravit, et de natura hujus maris quaedam prodidit, uti legere est apud Plinium [51]). Idem Romanorum dux, secundum Plinium, primus viam ex India in Pontum Euxinum usque investigavit. Scribit enim Plinius (l. c.) "Pompeji ductu

50) Plin. hist. nat. lib. VI. c. 17 et lib. II. c. 67.

51) Plinii hist. nat. lib. VI. 17.

ductu exploratum, in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat, et ex eo per Caspium in Cyrum subvectas, quinque non amplius dierum terreno itinere ad Phasin in Pontum Indicas posse devehi merces"; quod ineptus PLINII imitator SOLINUS in Polyhistore suo [52]) ita accepit, ac si ipse Pompejus hanc ex India viam emensus esset, quod falsissimum esse in vulgus notum [53]). *Quod* vero nec Pompeji expeditio situm et figuram hujus maris illustraverit, quippe praeterquam quod haustus ejus dulcis sit *nihil* memoriae prodidit [54]), ea caussa esse videtur, quia meridionale et occidentale littus solum attigerit, cujus situs quo melius semper notus erat, eo magis semper de septentrionali et orientali littore disputatum est. Neque unquam Romani fines suos, *licet latissime* dilatatos, ultra occidentalem Caspii maris terminum et Euphratem protulerunt.

Qui

52) Cap. 28.
53) Cf. ad h. l. SALMASII exercitt. Plinianae.
54) Cf. PLIN. l. c. et Solin.

Qui factum est, ut ne unus quidem scriptorum Romanorum rectam hujus maris nobis tradiderit descriptionem. TACITUS populorum et terrarum callidissimus scrutator, fere silet, nisi huc retraxeris duos locos [55]. PLINIUS ipse cui tamen in hoc genere multum tribuendum [56]) Hyrcanum mare irrumpere e Scythico Oceano in aversa Asiae autumat, eumque, uti fere in omnibus, SOLINUS in Polyhistore refert. CURTIUS vero, quem rerum geographicarum omnino imperitissimum fuisse tota ejus historia de rebus gestis Alexandri Magni testatur, neque meliora de hoc mari attulit. POMPONIUS MELA in libello de situ Orbis aeque falsam de Caspio mari profert sententiam, nec eum istarum regionum satis gnarum fuisse ex descriptione fluviorum Cyri et Cambysis in Caspium mare se exonerantium [57]) patet, ubi turpissime eum lapsum esse infra videbimus.

55) TACIT. Ann. 6. 33. Hist. 1. 6.

56) PLIN. l. VI. c. 13. ex emend. SALMASII in exerc. Plinian.

57) III. 5. §. 6.

bimus. Ceterorum vero scriptorum nequaquam veriora de hoc mari dicentium judicia referre nihil attinet; Romanos Graecis harum regionum, ne dicam peritiores, immo multo imperitiores demonstrasse, nunc sufficiat.

Clariorem certe, quam unquam, hujus maris notitiam migrationes Hunnorum, Gothorum aliorumque populorum, quinto p. C. n. saeculo ex istis regionibus excedentium, afferre potuissent, nisi ipsa emigrantium insita feritas ac barbaries, destruendis potius quam conservandis historiae et antiquitatis documentis intenta, tenebris et oblivione omnia obruisset. Quod eo magis dolendum est, quia vix alio tempore istas regiones tam crebris motibus et expeditionibus frequentatae sunt; ut unum tantum sed summi momenti exemplum adferamus: Scythas et Hunnos a scriptoribus historiae Byzantinae memoriae proditum est, Persis arma illaturos paludem in septentrionali Ponti et Caspii maris parte sitam transiisse, cujus hodie ne vestigia quidem supersunt.

ſunt [58]). Sed de his infra pluribus. Conſultum certe nobis foret, ſi aliqui tantum peritiores viri iſtorum migrationibus vel ſocios ſemet addidiſſent, vel nuntios ab iis acceptos continuo ſumma cum fide poſteritati tradidiſſent.

Devenimus nunc ad orientales ſcriptores, quorum de Caſpio mari longe optima eſt ſententia. Cujus rei quidem cauſſa id, quod modo diximus, magnopere adfirmat, quippe quae haud aliunde repetenda eſt, quam quod iſti ſcriptores migrationibus et expeditionibus Turcomannorum, Tartarorum, aliorumque propinquiores erant, eoque certi et explorati aliquid pernoſcere poterant. Qua propter ad unum omnes fere geographi orientales, EBN HAUCAL [59]) ejusque epitomator dictus Geographus Nubienſis, EDRISI, cujus operis geographici epitome

58) Memoriae populorum olim ad Danubium etc. incolentium e ſcriptorib. hiſt. Byzant. erutae a J. G. STRITTERO tom. I. p. 5. 13.

59) SYLVESTRE DE SACY notice de la Geographie d'Ebn Haucal p. 13. 97.

epitome est Geographia Nubiensis [60]), geographi orientales, quos OUSELY in lucem edidit [61]); ante omnes vero ABULFEDA, cujus de Caspio mari opinionem infra copiosius exponemus; qui omnes inquam, Caspium mare undique terra cinctum recte pronunciant. Quae quidem verior sententia non tam ab ingenti Arabum ipsorum motu, cum imperium eorum non tam alte in septentrionem ascenderet, quam ex Mongolorum eruptione profecta esse videtur. Cui rei probandae gravissimum adferri potest argumentum, siquidem verum est, quod ABULGASI-CHAN [62]) tradit: Dsingis-Chanum cum exercitu Tartarorum, ambitum totius Caspii maris emensum esse, hocque modo veram illius maris figuram et quod lacus mediterraneus sit, innotuisse. De qua expeditione eo minus dubitandum videtur, quod similem fere Muhamedanorum exercitus, regnante

60) Cf. HERBELOTIUM in bibl. orient. s. v. Edrisi et Geogr. Nub. p. 243.

61) p. 184.

62) Hist. Tartar. c. 17.

regnante Ulumahumet-Chan, in septentrionalibus Maeotidis et Caspii maris regionibus suscepit [63]), imo vero Maeotidem paludem, cum gelu constricta esset, transiit. [Liceat hic lectorem de errore monere, quem jam BECKMANNUS [64]) notavit. GEUDERUS nempe, qui BARBARI itinerarium in latinam linguam convertit, Mare Zabache, uti BARBARO nominatur, Mare Caspium esse perperam credidit; quod ex duobus potissimum argumentis falsum esse evinci potest: primum quod exercitus ille ex oriente profectus, trajecto demum Tanai mare Zabache transivit; deinde quod illud mare gelu concretum fuisse dicitur, quod, uti infra docebimus, Maeotidi quidem paludi [65]), nunquam autem Caspio

63) JOSAFAT BARBARO viaggio alla Tana.

64) In Litteratur der ält. Reisebeschr. St. II.

65) STRABO XI. 756. ALMEL. μέχρι γὰρ δεῦρο (ad Panticapaeum, καὶ ὁ κρύσταλλος διατείνει πηττομένης τῆς Μαιώτιδος κατὰ τοὺς κρυμοὺς ὥστε πεζεύεσθαι.

mari talem in modum accidere solet, ut exercitus transire possit].

Sed quocunque tandem modo sese res habeat, hoc certe constat, et infra etiam comprobabitur, Arabum scriptores longe meliora de hoc Caspio mari, quam Graecos et Romanos, statuisse. Iisdem fere temporibus, scilicet saeculo post C. n. decimo tertio, cum Tartarorum imperium, subacto fere omni inter Chinam et Silesiam immani terrarum spatio, totum terrarum orbem nominis sui celebritate implevisset: totus ille, quem Tartari sive Mongoli occupant, mediae Asiae tractus, Europaeorum oculos in se convertit; partimque religionis christianae propagandae, partim mercaturae faciendae studio incensi, permulti in istas terras tum missionarii, tum mercatores peregrinatum profecti sunt. Quorum omnium itinera, cum ab utroque Caspii maris tam septentrionali, quam meridionali latere instituerentur, imo nonnulli eorum peregrinantium in ipso Caspio mari navigarent, exspectandum omnino erat, aliquid certe

explo-

exploratum iri. Ac primus quidem Innocentius IV. papa, cum et a Dſingischano imperioque ejus ſubjectis Tartaris Chriſti numen adorari, ſuamque ipſius ſummam poteſtatem agnoſci cuperet, anno CIↃCCXLVI JOANNEM DE PLANO CARPINUM et ſtatim uno anno poſt ASCELINUM, utrumque Franciscanum, dimiſit. ASCELLINUS quidem fra- ter Caſpium mare prorſus non attigit, JOANNES DE PLANO CARPINUS vero, immenſum terrarum ſpatium emenſus [66], quippe qui

66) Itineraria eorum vide in: PIERRE BERGERON voyages faits principalement en Aſie, dans les XII. XIII. XIV et XV. ſiècles. A la Haye chez Jean Neaulme 1735 et à Leyde 1759. 2 Voll. in 4., ubi praeter ASCELINI et CARPINI, GUILIELMI DE RUBRUQUIS, Marci PAULLI Veneti et aliorum, qui in his terris peregrinati ſunt, hodoeporia inveniuntur. Eosdem et inſuper alios continet: Allgem. Hiſtorie der Reiſen Volumen VII. Leipz. apud ARKSTEE et MERCUS 1750. inſ. et Collectio itinerum, quam inſtituit VAN DER AA Lugd. Batav.

qui inde a palude Maeotide, Tanai et Volga fluviis trajectis, boreale hujus maris latus peragravit, ac postea usque ad ultimum Tartariae orientalis terminum penetravit, optima de Caspio mari nobis tradere, ac falsam de nexu ejus cum oceano septentrionali opinionem explodere potuisset, nisi ipse CARPINUS, haud secus ac ASCELINUS oculis, inepta monachorum stoliditate obcoecatis, iter fecissent. Quare etsi in itinerariis suis plura de moribus populorum, per quos iter fecerunt, deque aliis quibusdam facilius in oculos incurrentibus satis memorabilia posteritati prodiderint, tamen quod ad situm et naturam locorum, quippe quibus describendis major doctrina et sagacitas requiritur, adtinet, haud multum, ad Caspium vero mare quod proprie adtinet, nihil prorsus praestiterunt.

Uterque vero legatus, cum, male a Tartaris exceptus vel ridicule habitus, rebus infectis ad Papam rediisset, paullo remissum est ejus studium, barbaros illos ad dogma Christianum convertendi; nihilo minus

nus tamen Ludovicus IX. Gallorum rex, vera procul dubio pietate permotus, denuo legatum ad Tartaros misit anno CIↃCCLIII GUILIELMUM DE RUBRUQUIS, societatis Fratrum Minorum, superioribus istis haud dubie peritiorem [67]). In itinere suo occidentale et boreale Caspii maris latus peragravit; orientale latus non adiit, quare nec ipsum lacum Aral, non secus ac CARPINUS, novit, nec verum Caspii maris figuram investigavit, quippe quae Russorum demum opera primum innotuit.

Sed quum et haec Ludovici IX. religionis propagandae legatio irrita esset, res prorsus abjecta est; neque quisquam forsitan

67) Itinerarium ejus, epistolis latinis ad Ludov. IX. regem Franciae conscriptum, insertum est collectionibus supra jam laudatis; est etiam in itinerariis, quae congessit HACLUYT et PURCHAS tom. III, qui epistolas GUILIELMI DE RUBRUQUIS in anglicum sermonem transtulit, e quo in gallicum a BERGERONIO conversae sunt.

tam difficile illud et aerumnosum iter in Tartariam et in regiones circa Caspium mare iterum suscepisset, nisi lucri faciendi cupido homines ad nova audenda usque impulisset. Hoc nempe consilio celeberrimus MARCUS PAULUS, sive MARCO POLO, Venetus, cum patre et avunculo NICOLAO et MATTHIA anno p. C. n. CIↃCCLXXII iter in Tartariam instituit, totamque Asiam perlustravit. Quamquam vero MARCUS PAULLUS ingenio et doctrina superiores omnes vincit, tamen, cum Caspio mari iter ejus lucem haud admoveret, hic de eo disserere nihil adtinet, quippe qui, aeque ac ceteri peregrinantes, moribus hominum referendis magis quam describendis regionibus erat intentus, eaque de causa de hoc mari aut prorsus silet, seu quia difficultates, quas res h[illegible], eum fugiebant, seu quia eas leviores nec notatu dignas putabat, aut nota tantum et trita omnibus adfert.

Post MARCUM PAULUM trecentorum fere annorum veternus peregrinantes oppressit, vel certe ab istis regionibus avertit, donec

Anglus

Anglus quidam, nomine JENKINSONIUS, ut mercaturae faciendae viam muniret, anno CIƆIƆLVIII, Bocharam, AVICENI patriam, iter instituit, primusque per Usbeckorum terram penetrare est ausus[68]). Quo minorem vero fructum e superiorum auctorum descriptionibus nobis percipere licuit, eo majorem nobis suppeditat iter JENKINSONII, qui non solum mercaturae sed et rerum geographicarum peritissimus (alioquin societas Moscovitica ad novam mercaturae viam aperiendam eo usa non esset), in mari Caspio bis navigavit, totam ejus oram septentrionalem diligenter perlustravit, opinionem de nexu hujus maris cum Oceano Septentrionali falsam esse demonstravit; ostia fluviorum Jaik et Jem investigavit; appulit in portu Manguslave seu verius Minkischlaek, primusque mare Caspium ab occidente versus orientem in latitudinem porrectum esse

sensit,

68) Itinerarium ejus epistolis conceptum vide in coll. HACLUYTI PURSCHASII et Allgem. Hist. der Reisen. Vol. VII.

sensit, quod OLEARIUS postea luculentius docuit; magnitudinem, situm et sinus hujus maris, Oxi denique cursum et ostia descripsit. Omnino haec ejus navigatio in mari Caspio, hominum oculos in illud convertit, docuitque, longe aliam esse ejus naturam, quam hucusque arbitrati fuerant.

Haud ita multo post JENKINSONIUM, anno CIƆCILXXX BOURRUS Mathematicus Anglus, occidentalem maris Caspii oram navigando legit, multarumque urbium clima et situm investigavit; de cujus observationibus vide quae disputavit DELISLE 69).

Triginta annorum circiter spatio interjecto, celeberrimus Romanus peregrinator PETRUS DELLA VALLE, anno CIƆCICXIV Venetiis solvit, qui totam fere Asiam peragravit et permulta huc pertinentia tradidit. De figura quidem et situ hujus maris prorsus silet, navigavit enim in eo nonnisi semel, cum oblectamenti caussa in altum ex urbe

69) In Mémoires de l'Acad. de Scienc. an MDCCXXI. p. 253 et 254.

urbe Fehrabad aliquantulum progressus, ab uxore trepida statim se revocari pateretur [70]; at ipsius maris indolem, periculosam in eo navigationem et circumhabitantes populos, aliaque multa diligenter describit. Quapropter etiam hic istarum regionum notitiam multum illustrasse censendus est.

At multo magis id fecit ADAMUS OLEARIUS, origine Germanus, qui secretarii munere fungens, anno CIƆIƆCXXXIII, cum legatis Hollstenianis in Russiam et Persiam iter fecit. Is enim per Volgam delapsus, in mari Caspio navigavit, inque eo naufragium passus est. Idem omnium primus veram hujus maris descripsit figuram, sc. longitudinem ejus, contra quam omnes hucusque opinati erant, a septentrione in meridiem; latitudinem ab oriente in occidentem porrigi, contendit. Quo omnes geographos in primis Lipsienses aliquot, ut ipse di-

cit,

70) II. epist. 4.

pit [71]), CELLARIUM [72]) et ISAACUM VOSSIUM [73]) sibi adversarios fecit. Nullus ante eum situm, indolem, magnitudinem, littora, portus et illabentia flumina tam docte et accurate descripsit; unde maximopere dolendum est, quod ipse, tantis subsidiis instructus, mappam geographicam hujus maris non delineavit. Eo tamen auctore verior in mappis geographicis primum instituta est hujus maris adumbratio; nam post eum longitudinem a Septentrione et latitudinem ab Oriente expansam videmus.

Idem fecit in itineris sui descriptione JOANNES STRUYS, qui primus omnium peculiarem Caspii maris mappam geographicam delineavit. Quamquam vero itinerarium ejus fide historica fere indignum est, mappaque ejus, si cum recentioribus Russorum mappis comparatur, vitiis scatet: tamen, cum adumbratio maris in ea multo rectior quam apud praecedentes geographos, inde

71) IV. 16.

72) Cf. Orb. antiq. III. 19.

73) Ad MELAM III. 5.

inde a PTOLEMAEO usque ad ABULFEDAM sit, veraeque delineationis saltem quasi sciagraphiam sistat, silentio et contemptu, uti fere adsolet, certe JOANNES STRUYS haud praetereundus est. Mirum videtur, quod utrumque latus, occidentale et orientale commutavit quidem, ceterum recte descripsit. Scimus enim maris Caspii orientale latus, tum in boreali, tum in meridionali parte, duobus sinubus in Orientem vergere; hos sinus vero STRUYSIUS, in occidentale latus transpositos, in occidentem vergentes facit [74]. Negandum tamen non est, eum ostia fluviorum Jaik et Jem in orientale; portum Manguslave et Oxi ostium in meridionale latus transferentem, haec pessime disposuisse.

Transeamus nunc inclytissimos quosdam, qui omnes fere inde ab anno CIƆIƆCLXXX usque ad CIƆCICC annum iter in Tartariam instituerunt: VERBIESTIUM, Avrilium societatis Jesu, GERBILLONUM, qui

74) Cf. DELISLE mémoir. in Mémoir. de l'Acad. des Scienc. an 1721. p. 254.

qui octies in illas regiones peregrinatus est [75]) ipsumque omnium celeberrimum Tavernerium, qui per quadraginta fere annos in Asia versatus est: horum omnium enim opera nihil effectum est, quod mari Caspio lucem affunderet; et ad Russos potius veniamus, quibus Petri I. summi imperatoris auspiciis contigit, ut aeternas istas tenebras, quae hoc mare obruerant, fugarent ac veram ejus figuram et situm illustrarent. Neque tamen iis defuere laudum detrectatores, inter quos summus et, quem Humius dicit, geographorum princeps Danvillius (adpellat enim mappam geogr. Russorum in memoir sur la mer Casp. un trait hasardé): constat tamen, quidcunque in hoc genere certi et explorati habeamus, id omne Petri I. et civium Academiae Petropolitanae opera et studiis effectum esse.

Nam Petrus I. terrâ marique hoc mare investigari jussit; et cum propter navigationis imperitiam propterque circumhabitantium

75) Quorum itineraria vide in Allgem. Hist. d. Reis. Vol. VII.

tum barbarorum timorem aditus hucusque terrâ marique interclusus fuisset, ille magnanimus imperator idemque rei nauticae amantissimus ac peritissimus, pertinaci animo prius non destitit, quam totum orientale latus, de quo geographi prorsus nihil certi tradiderant, in lucem protraxisset. Cum enim regiones circa mare Caspium auro aliisque metallis abundare (cujus rei famam jam antiquitus traditam esse in vulgus notum), ipsumque Jaxartem auri ramenta deferre, rumor ad aures Petri imperatoris delatus esset, is auri simul sacra fame permotus et ut mercaturae, ex Siberia in Tartariam faciendae, viam aperiret, anno CIƆIƆCCXIX Beckowitzium cum tribus millibus armatorum dimisit, qui totam hujus maris oram orientalem, viasque ibi in Tartariam, cursumque et ostia Jaxartis exploraret. Quo consilio postquam totum litus orientale Beckowitzius peragraverat, nec ostia Jaxartis invenerat, quippe qui in lacum Aral defertur; quod per Beckowitzium tum primum ad liquidum est perductum;

ductum; insidiis sibi structis et a Tartaris circum ventus, in deserto cum omnibus suis ad internecionem fere caesus est.

At Petrus imperator, funesta horum clade haud deterritus, jam ipsum mare navigando aliquoties tentari jussit. Quarum expeditionum ea memoratu dignissima est, quae auspiciis CAROLI VAN VERDEN per tres annos duravit; qua tandem finita C. v. VERDEN mappam geographicam Caspii maris a semet delineatam edidit, STRUYSIANA longe superiorem et per quam tum primum vera maris Caspii forma innotuit[76]. Hanc mappam geographicam imperator Russorum aliquoties, ut emendatior prodiret, recudi jussit, ac celeberrimae scientiarum Academiae Parisiensi tradidit, ut, quae ei notanda viderentur, sibi communicaret. Quamquam vero in hisce mappis clima locorum optime est expressum, longitudines tamen desunt, quippe quas recte delineandi ars seriori demum tempore innotuit. Ab eo inde tempore

76) Eam iterum duabus plagulis excusam edidit REINHART OTTENS. Amstelod. 1723.

tempore de ostiis fluviorum mari Caspio illabentium, de tractu litorum, de falsa ejus cum oceano continuitate deque subterraneis ejus faucibus non tam multa tamque insipida sunt disputata; unde, quae in singulis melius explorata sunt, ea suo quaeque loco indicabimus.

Cum tali modo Petrus I. veriori maris Caspii notitiae fundamenta jecisset, seriori tandem aetate rem ad finem perduxerunt inclytissimi Academiae Petropolitanae cives: GMELINUS, GULDENSTADTIUS, et omnium facile princeps SIMON PETRUS PALLAS, qui immensa doctrina aeque ac incredibili ingenii vi et acumine praeditus non praesentem solam, sed veterem quoque hujus maris figuram et indolem rectissime descripsit. Non minora fere ad cognoscendum hoc mare contulit GMELINUS, qui bis in hoc mari navigavit ejusque ambitum emensus est, et GULDENSTADTIUS, qui circumjacentium regionum et Caucasi situm explanavit; quorum omnium aliorumque opera hoc certe effectum est, ut, quamvis multa

ad

adhuc in geographia maris Caspii diligentior talium rerum scrutator desideraverit, circa veram tamen maris Caspii figuram, situm et illabentium fluminum cursum et ostia non ita densis tenebris erremus, nec ita multis vitiis quam antea hujus maris descriptiones scateant.

CAPUT II.

DE NOMINE MARIS CASPII.

Progrediamur jam ad ipsum mare, et ut res ordine procedat, de nomine ejus primum pauca dicamus. De nomine hebraico hujus maris nihil dicere possumus, quippe quod, ut supra jam ostensum est, plane ignoramus. Quapropter continuo ad Graecos et Romanos nos convertamus, quo nomine adpellaverint, disquisituri.

Mare Caspium jam antiquis temporibus multis nominibus vocitatum fuisse, testimonio

nio PLINII constat, qui [1]) "pluribus nominibus accolarum, celeberrimis duobus Caspio et Hyrcano adpellatum" refert. Sed ne quis promiscuo utriusque nominis usu et auctoritate PLINII confisus utrumque vocabulum plane idem significare nullumque unquam discrimen interfuisse, credat: Primum enim tenendum est, antiquissimis temporibus illud mare non nisi Caspium vocatum fuisse. Apud HERODOTUM enim ceterosque et prosae et poeticae orationis scriptores, qui ista aetate floruerunt, hoc solum nomen invenimus. Seriori demum tempore promiscuus utriusque nominis usus erat. Sed neque plane idem significabat, primis certe temporibus, quod ipsius nominis derivatio et discrimen, ab auctoribus passim observatum, docet. Cum enim, uti jam vidimus, nomen ab accolis litorum sit profectum, unde PLINIUS [2]) "dein per oram Albani, ante quos mare quod est, voca-

1) Hist. nat. lib. VI. c. 13.
2) PLIN. lib. VI. c. 13.

vocatur Albanum", per se intelligitur Caspium et Hyrcanum mare vocatum fuisse, quatenus vel Caspiorum [3]) vel Hyrcanorum oras adluit. Caspii, seu Caspiani ab occidentali maris parte, in Atropatia habitabant, secundum STRABONEM [4]) et PTOLEMAEUM [5]) alibi; et videtur eorum nomen postea in desuetudinem abiisse, Hyrcanorum vero Alexandri demum tempore magis inclaruisse, ut hoc mare post Alexandrum demum Hyrcanum vocari coeperit. Ea occidentalis maris Caspii pars, quae propior meridiem est, hoc nomine insigniebatur, et quidem, uti PLINIUS docet, inde a Cyro amne. "A Cyro, inquit [6]), Caspium mare vocari incipit, accolunt Caspii. Idem [7]) inde a flumine

3) Caspios et Caucaso nomen Caspio indidisse, auctor est ERATOSTHENES apud STRAB. XI. 760. Cf. et DIONYS. PERIEG. 730. ibiq. EUSTH.

4) XI. 782.

5) VI. 2.

6) Lib. VI. c. 13.

7) Lib. VI. c. 16.

flumine Syderi, quod ab orientali parte mare subit, Hyrcanum vocari asserit. Diligentius etiam POMPONIUS MELA [8]) situm hujus maris describit, nosque, quo singula nomina pertineant, edocet: in tres scilicet sinus diffundi scribit, "Hyrcanum unum contra os ipsum, quo nempe, secundum ejus opinionem, aqua ex oceano septentrionali irruebat; ad sinistram, h. e. in orientali parte, in alterum Scythicum, nempe sinum (idem PLIN. [9]) "primus sinus adpellatur Scythicus"); ad dextram denique, h. e. in occidentali parte in tertium eumque "quem proprie et totius nomine Caspium adpellant". Tali modo diversis sinubus diversum primum, idem postea nomen inditum. Observandum tamen est, POMPONIUM vix alibi tam turpiter sibi repugnare, quippe qui [10]), cum sinum maris Caspii meridionalem Hyrcanum vocari dicit (ponit eum

nempe

8) De situ orbis Lib. III. c. 5. §. 3.
9) VI. c. 13.
10) L. c. §. 4.

nempe contra os maris, quod septentrionale est), prope hunc tamen, qui magis orientem spectat, Albanos, Moschos et Hyrcanos locat. Qui vero Albanos et Moschos, quorum regio occidua est, τὸ μὲν γὰρ[11]) ἔχουσιν αὐτῆς Κόλχοι, τὸ δὲ Ἴβηρες, τὸ δὲ Ἀρμένιοι, Hyrcanis in orientali parte habitantibus, vicinos facere potuit, interpositis praeterea[12]) Amardis, Anariacis, Cadusiisque? Simili errore in sinu Scythico Derbices simul et Amardos ponit[13]) interjectis tamen Hyrcanis[14]). Amardi enim iidem qui Mardi. Conjungit igitur meridionalem et septentrionalem maris Caspii partem.

Sed redeamus, unde degressi sumus, ad varia maris Caspii nomina. Vidimus, diversis ejus sinubus diversa fuisse nomina, ac forsitan tali modo explicari poterit locus Ammiani Marcellini[15]), ubi paullo insolen-

11) Strabo XI. 763.
12) Secundum Strab. XI. 782.
13) L. c.
14) Cf. Strabo. XI. 782 et 773.
15) Lib. XXIII. c. 6.

ſolentius de hoc mari pluraliter loquitur; dicit enim Pompejum, cum per Albanos et Maſſagetas proficiſceretur, *Caſpios lacus* vidiſſe; quod quomodo recte dici poſſit, niſi de ſinubus accipiatur, ut eos omnes complecti voluerit, non video. Ammianum enim parvos iſtos ſalſosque lacus, qui in illis regionibus ſtagnant, prae exiguitate cum mari Caſpio haud conferendos, nec unquam *Caſpios lacus* vocatos, innuiſſe, vix credibile eſt.

Huc referendus eſt locus CURTII [16]), ubi Caſpium mare a Hyrcano plane diverſum facit. Scribit enim e Tauro et Caucaſo omnia fere Aſiae flumina, alia in Rubrum, alia in Caſpium mare, alia in Hyrcanum et Ponticum decidere; idem tamen ubique fere [17]) Caſpium totum hoc mare adpellat. Talis vero in rebus geographicis vel ignorantia vel incuria apud CURTIUM ſaepiſſime obvia.

Ob-

16) De reb. geſt. Alex. lib. VII. c. 3.
17) V. c. lib. VI. 4. 18 et 19.

Observato igitur utriusque nominis discrimine, probare vix operae pretium videtur, seriori tempore hoc mare pro cuiusque libidine Caspium vel Hyrcanum nuncupatum fuisse. Sed ne quis veterum scriptorum vel in hac re auctoritatem desideret, praecipuos quosdam locos adferemus[18]). STRABO — ὑπὲρ τῆς Ὑρκανίας θαλάττης, ἣν Κασπίαν καλοῦμεν. Idem: Κασπία καλεῖται θάλαττα, οἱ δ' Ὑρκανίαν προσαγορεύουσι; et DIOD. SIC.[19]) μέχρι τῆς Κασπίας καλουμένης θαλάττης, ἣν Ὑρκανίαν τινὲς ὀνομάζουσι. PLUTARCHUS[20]): τὸ Ὑρκάνιον πέλαγος, καὶ Κάσπιον ὁμοῦ προσαγορευόμενον. ZONARAS[21]) τὸ Ὑρκάνιον πέλαγος, ὃ καὶ Κάσπιον λέγεται. AGATHODEMUS[22]) ἡ μὲν Ὑρκανία ἤτοι Κασπία θάλαττα. Idem confirmari potest ex ARISTOTELE[23]), ... ARRIANO

18) STRABO XI. 753.

19) DIOD. SIC. XVII. c. 75.

20) In vita Alexandri.

21) Lib. IV. c. 11.

22) Compend. exposit. geogr. lib. I. c. 3.

23) Meteorol. lib. II. c. 1. et de Mundo lib.

ARRIANO multisque aliis scriptoribus. Sed sufficiant haec pauca. Notandum praeterea est, Caspium hujus maris nomen variis formis efferri. DIONYSIO enim in Periegesi [24]) vocatur κασπὶς et [25]) κασπιὰς; ab ERATOSTHENE [26]) κασπιάνη θάλαττα. Sed καυκασίη θάλασσα apud APOLLONIUM [27]) melius ad Pontum referri monuit Scholiastes.

Haec de graecis hujus maris nominibus, adjiciamus pauca de barbaris. Haec vero secundum terras mari adjacentes variant, ut, quot provincias adluat, tot nomina habeat. Ab ostiis Volgae igitur exorsi (nam vetustissimo ibi nomine, quantum scimus, insigniebatur) totius maris ambitum percurramus, suum cuique parti nomen adsignantes: EDRISI in geographia Nubiensi [28]), EBN

24) V. 748.
25) 1064.
26) Vid. Schol. APOLL. RHOD. lib. II. c. 1251.
27) Lib. IV. v. 135.
28) Clima V. pars 7.

Ebn Alvardi [29]) aliique scriptores orientales, Mare Caspium, Chozar vocatum fuisse scribunt. Quod nomen quousque pertinuerit, videamus. Chozar, unus e Japheti filiis, secundum Mirkhond in genealogia Dsingiskhani [30]), cum in ripas fluvii Volgae, quem Arabes Etel dicunt, pervenisset, urbem sibi suo nomine adpellatam condidit. Hujus nomen postea ad circumjacentem regionem translatum, ad mare quoque pertinuit, quatenus terra Chozar ab utraque Volgae ripa, illuc in septentrionem, huc in meridiem et quidem, secundum Gregorium Abulpharagium, usque ad portas, quae vocantur Derbent, in Georgianorum terra, porrigitur. Progredientibus versus meridiem proxime sita provincia Schirvan, cujus caput, urbs Bacu, sub quadragesimo fere latitudinis gradu sita, cum mari

29) In geographia, quam sub titulo Kheridat alegiaib edidit.

30) Cf. Bochartum in Phaleg. lib. III. c. 15 et Herbelotum in bibl. oriental. s. v. Chozar.

mari nomen suum communicavit; unde factum, ut a Persis vocetur *Deriah Bacouik* [31]). Post hanc terram sequitur provincia Ghilan, cujus maxima urbs est Rascht. Porrigitur autem, secundum recentiorum testimonium, inde a trigesimo sexto usque ad trigesimum nonum latitudinis gradum, quare, num HERBELOTUS recte situm ejus descripserit, nescio [32]), quippe qui trigesimum quintum et sextum ei adsignet; haec quoque provincia satis celebre inter Orientales mari Caspio dedit nomen. Ex eo transitur in terram Mazândaran ad meridionale maris Caspii latus sitam. Num ex hac quoque terra mare nomen duxerit, ut HERBELOTUS [33]) adfirmat, nulla auctoritate confirmatum invenimus, quamquam tres celebriores urbes: Astrabad, Ferabat et Balfrusch habeat. Hanc quoque provinciam a meridie

31) Cf. JOSAFAT BARBARO viaggio alla Tana et FREINSHEIM ad CURT. V. I. 4. 18.

32) Cf. bibl. orient. s. h. v.

33) In bibl. orient. s. v. Ghilan.

meridie isti confinem, cui nomen Tabarestan, nomine suo mare Caspium adfecisse, auctor est EDRISI in geographia Nubiensi[34]) qui Caspium vocat mare *Tabarestanitum.* A tertia denique provincia in meridionali litore sita mare Caspium vocatur *Mare Dilem*, quod provinciae nomen. Progrediamur nunc in orientale litus. Offertur ibi Chorasmia seu, uti ABULFEDA scribit, Chowarezm[35]), cujus caput est urbs, Corcany a Persis, Arabibus vero Aljorjaniyah dicta, et in australi fluminis Jihun, i. e. Oxi ripa, secundum ABULFEDA sub. 42°, 17′ lat. et long. 84°, 1′ sita; secundum NASSIRI EDDINI tabulam[36]) long. 94°, 30′ et lat. 42°, 17′. Idem clima habet in tabula ULAG BEIGI[37]). Haec urbs, quam HERBELOTUS[38]) Giorgiam dicit, nomen

34) Clim. V. p. 7.

35) Cf. ejus descriptio Chorasmiae et Mavaralnahrae, i. e. transoxanae in HUDSONI script. geogr. graeci minores. tom. III.

36) HUDSON ibid.

37) HUDSON ibid.

38) Bibl. orient. s. h. v.

nomen suum mari Caspio suppeditavit. Vocatur enim ab Arabibus ceterisque orientalibus *Mare Jorjan* seu *Giorgian*. Cavendum vero, ne vocis similitudo Georgianorum terram lectori in mentem vocet, quippe utraque regio toto mari disjuncta jacet. Hoc solum nomen est, quod orientalis maris Caspii pars habet; ceterae enim regiones fere desertis sunt inhospitales nec ab hominibus frequentatae. Abundat praeterea hoc mare aliis nominibus, quorum celebriora tantummodo adtulisse sufficiat. Turcis *Corzgun-Denghiz*, i. e. corvorum marinorum mare, quippe quibus abundaret *Bahri-Gase* 39) et *Akdenghiz* dicitur 40) Tartaris. Sed de hoc nomine dubitandum, cum summae fidei auctor TAVERNIRIUS 41) mare internum ita vocari dicat. Persis dicitur

39) GEORGI Beschreibung des russisch. Reichs. tom. I. p 257.

40) Cf. idem ibidem.

41) TAVERNICUS voyage en Perse. tom. 3. c. 7.

citur Kulzum sive Kalzun seu *Kolzum* [42]), quod vocabulum et sinui Arabico tribuitur [43]); Armeniis *Soof* [44]), Mauris *Bohar Carsun*, i. e. mare clausum [45]); Russis denique *Karpiskoi More* [46]). Haec de nominibus hujus maris sint dicta.

CAPUT III.

DE SITU MARIS CASPII.

In climate maris Caspii constituendo scriptores, praeter Ptolemaeum, non magnopere inter se discrepant; quippe omnes fere inde a trigesimo septimo latitudinis gradu,

42) Cf. OLEAR. Persian. u. Moscovit. Reis. lib. IV. c 16. et GEORGI Beschreib. c. l.

43) Cf. EDRISI in geogr Nub. ABULFEDA descriptio maris Alkolzum in geogr. min. HUDSONI tom. III. OLEAR. c. l.

44) GEORGI Beschr. ibid.

45) OLEAR l. c.

46) GEORGI Beschr. c. l.

gradu, usque ad quadragesimum septimum circiter id porrigi scribunt. Ptolemaeus autem tribus gradibus septentrioni propius fecit [1]; diffundit enim hoc mare a quadragesimo latitudinis gradu usque ad quadragesimum nonum. At in longitudine ponenda admodum variant, tum quia litus maris Caspii orientale et occidentale, uti docebimus, multis mutationibus obnoxium usque fuit, tum quia utrumque litus, praesertim orientale, admodum est sinuosum; tum denique quia longitudinum recte definiendarum ars novissimo demum tempore inventa est. Quapropter in hac re tanta est dissensio, ut alii intra quinque vel sex graduum spatium contrahant, alii vero, uti Ptolemaeus [2]), quadruplo majus faciant. In iis autem tabulis, quas primas rectiores describendas curavit Petrus I., nullae prorsus longitudines notatae sunt.

Huic

1) Cf. tal. Asiae V et VII in edd. Mercatoris.

2) L. c.

Huic accedit, quod nemo, usque ad OLEARIUM hujus maris situm investigavit; ad unum omnes enim auctores longitudinem ejus non a septentrione in meridiem, sed ab oriente in occidentem, latitudinem vero a septentrione in meridiem extendebant. Testabitur hoc quaincunque adspexeris tabula geographica. Quae quidem opinio, si antiquissimum et ut ita dicam Ogygium tempus spectes, haud rejicienda videtur; certissima enim conjectura adsequi possumus, mare Caspium aliquando ab altero latere usque ad Pontum, ab altero, usque ad lacum Aral pertinuisse, quod infra pluribus monstrare conabimur. Eadem vero falsissima opinio est, si ad recentiora tempora refertur; atque jam ABULFEDA ceterique post eum geographi Arabum longitudinem recte a septentrione meridiem versus constituunt. Quorum testimonio fretus JULIUS CAESAR SCALIGER [3]) omnium primus verum maris Caspii situm adumbrare ausus est; eumque sequutus est OLEA-

RIUS

3) In annot. ad MELAM III. 5.

rius [4]), qui αὐτόπτης illud mare emensus, longitudinem a septentrione porrigi adfirmat. Hanc tamen Olearii sententiam, ut ipse scribit, acerrime oppugnarunt cum alii multi, tum praecipue Isaacus Vossius [5]), quem quidem opinio egregie fefellit; hisce enim rationibus Olearium deceptum esse arguit. Occiduam tantum maris Caspii partem, ab ostiis sc. Volgae sive Rha fluvii usque ad Febrabad, emensum, summam tantum maris latitudinem perlustrasse Olearium, eamque esse centum et viginti leucarum germanicarum, quod cum Nubiensi et Herodoto congrueret; Jankinsonium Anglum autem veram maris longitudinem navigando confecisse, ab ostiis Volgae nimirum usque ad Jaxartem ducentorum milliariorum geographicorum spatium, idque Olearium ad nonaginta milliaria perperam contraxisse. Jam vero notum est, recessum borealem maris Caspii magis in septentrionem vergere, quam Volgae

4) Moscov. u. Pers. R. IV. 16.

5) Ad Pomp. Melam III. 5.

gae et Jaxartis ostia; atque ita JENKINI-NIUM, litus legentem, necessario in gyru non recta via, navigasse. Milliaria ve inde ab ostiis Volgae usque ad portu Mangusiave, seu rectius Miakischlaek si quadragesimo quinto latitudinis gradu situ (ipsius enim Jaxartis fluvii mentionem fa cere non poterat), ducenta quidem, sed nautica, non geographica milliaria compu tavit, quae, cum gradus aequatoris *habeat* viginti, centum quinquaginta geographica tantum efficiunt. Quod si sinuosum JEN-KINSONII iter ad rectam lineam *contrahis*, haud multum a vera OLEARII computatione differt. Praeterea vero OLÉARIUS rerum geographicarum peritissimus situm *totius ma-ris* locorumque adjacentium, secundum ca-talogum longitudinum et latitudinum, a Persis, ut ipse tradit [6]), sibi *suppeditatum* constituit; quapropter multo majorem fi-dem, quam omnes ante eum, meretur, recteque ejus sententiam artifices *illorum* temporum amplexi sunt, conquerente fru-

stra

6) Pers. u. Moscow. R. IV. 16.

fira CELLARIO, qui [7]) paucissima eaque admodum levia de hoc mari disputavit, situmque ejus pessime descripsit. ISAACUS VOSSIUS et CELLARIUS, contra OLEARIUM adferunt HERODOTI auctoritatem, qui longitudinem maris ab ortu in occasum porrigi tradat. Quod quo pacto asserere possint nescio. HERODOTUS enim in loco classico illo [8]), ubi de mari Caspio loquitur, expressis verbis, utrum a septentrione in meridiem, an ex oriente in occidentem porrectum sit, non declarat; sola igitur conjectura, quid statuerit, adsequendum est.

Ac primum quidem in dubium vocari non potest, eximia HERODOTUM maris Caspii notitia instructum fuisse; quod, contra quam omnes reliqui geographi, clausum mare esse contendit, mensuram ejus, ut infra demonstrare conabimur, optime descripsit, omninoque istarum regionum, hominum eas incolentium, montium, praesertim

Cau-

7) Orb. antiq. lib. III. c. 19 et 24.

8) Lib. I, c. 202 et 3.

Caucasi, ac fluviorum [9]) situm, naturam indolem, omnium rectissime in historiis suis illustravit. Hoc certe constat, eum boreale littus cognovisse, alioquin non tam audacter fauces istas septentrionales, contra omnium opinionem, negasset, quod expressis verbis ἔστιν ἐπ' ἑωϋτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ, et iterum ἔστιν ἑτέρη ἐπ' ἑωϋτῆς. Describit porro occidentale latus et Caucasum montem diligentissime; ipsum Rha fluvium quamvis sub alio nomine ignorare non potuit [10]); meridionale latus eum optime cognovisse, per se patet; colligere igitur summo jure nobis licet, eum totum tractum maris, inde a boreali latere usque ad meridionale latus, exploratum habuisse. Hunc vero centum quinquaginta milliaria geographica complecti, recentiorum testimoniis compertum est. Neque illum antiquis temporibus alium fuisse, ut mare vel recesserit, vel latius proruperit, credi potest, quia utrinque montes obnituntur.

9) De errore ejus circa Araxem v. infra.
10) Cf. infra de Araxe Herodoteo.

tur. HERODOTUS autem latitudinem maris octo dierum navigatione absolvi posse dicit; unde sequeretur, navi diurno cursu vicena milliaria geographica conficienda fuisse. Hoc vero nimium esse patet, siquis meminerit, HERODOTUM de navi remis acta loqui, εἰρεσίῃ χρωμένῳ, talemque navem noctu subsistere, praesertim in mari hoc procellis tam obnoxio, nulloque portu praedito. Quare plerumque navigatio non ultra duodecim horas erat [11]. Cui quidem repugnare videtur alius apud HERODOTUM [12]) locus, ubi navem diurno et nocturno cursu ἑπτακισμυρίας καὶ ἑξακισμυρίας ὀργυιὰς, quae sunt millia et trecenta stadia, emetiri ait. Adjectum vero est, hoc ἐν μακρημερίῃ tantum fieri; nil vero de remigatione adjecit auctor; unde probabile est, eum ibi de navi velis utente loqui. Ponamus vero, quod impossibile est,

11) Cf. GOSSELIN recherches sur la géographie des anciens tom. I. p. 65.

12) lib. IV. c. 86.

est, navem remis actam vicena per dier milliaria conficere posse, quod necesse es si octo diebus latitudinem centum quinqua ginta milliariorum confici vis: tum longi tudo, quam HERODOTUS ad quindecim dies constituit, ultra trecenta milliaria geo graphica ex oriente in occidentem porrigere tur, quod in vetustissimum quidem, non autem in HERODOTI aevum quadrare vide- tur; nam ad Imaum usque, unde Jaxartes descendit, mare pertinuisset, quod vix un- quam factum est. At vero HERODOTUS immania ista arenosa deserta probe no- vit, quae in orientali maris Caspii litore jacent; dicit enim [13]) τὰ δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα πεδίον ἐκδέκεται, πλῆθος ἄπειρον ἐς ἄποψιν. Apparet igi- tur, quam multa obstent eorum sententiae, qui HERODOTUM mare Caspium ab oriente in occidentem extendisse credunt. Si vero contrarium ponimus, omnia vero consona evadunt; navis enim ut centum quinqua- ginta milliaria quindecim diebus emetiatur, dena

13) Lib. I. c. 204.

dena milliaria singulis diebus percurrere debet, qui numerus remigationi optime convenit. Tunc vero octo dierum latitudo octogina milliaria daret, quod veritati adprime consentaneum foret, si latitudinem meridionalis maris Caspii sinus, quem HERODOTUS haud dubie in mente habuit, spectas. Hisce argumentis mihi effectum esse videtur, HERODOTUM verum maris Caspii situm non ignorasse.

Idem etiam de STRABONE, ceterisque, qui mare hoc per fauces ex oceano septentrionali irrumpere credebant, dici posse videtur, quorum omnium ea sententia est, ut longo tractu meridiem versus profluat. STRABONIS verba [14]) haec sunt: ἔστι δ' ὁ κόλπος ἀνέχων ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ πρὸς μεσημβρίην, καταρχὰς μὲν ἱκανῶς στενός, ἐνδοτέρω δὲ πλατύνεται, προιὼν μάλιστα κατὰ τὸν μυχόν· ibique latitudinem ab oriente in occidentem facit stadiorum quinque millia; pergit autem: ὁ δ' εἴσπλους μέ-

χρι

14) Lib. XI. p. 773. ed. ALMEL.

χρι τοῦ μυχοῦ, quod haud dubie de longitudine a septentrione in meridiem accipiendum, μικρῷ πλείων ἂν εἴη: et diligentius in hunc tractum computat libro secundo [15]) sex millia stadiorum. Quapropter, quamquam hujus maris formam justo rotundiorem facit, tamen ex septentrione in meridiem illud extendisse credendus est auctor. Nihilominus tamen tantum abest, ut latitudinem maris eandem usque fuisse contendamus, ut potius contrarium infra evincere conaturi simus; utrinque enim certe fluenta sua latius olim diffundebat.

Quocunque vero modo res sese habeant, in mappis demum, quas Petrus I. conficiendas curavit, verus hujus maris situs a septentrione in meridiem expressus est [16]). Ipse quoque Edrisi in geographia Nubiensi [17]) extendit quidem longitudinem ejus ab oriente in occidentem, aliquanto tamen

15) p. 127.
16) Cf. Rennelii mappa XX. satrapiarum Russici imperii. Anquetilii mappa 1754.
17) Pars VII. clima V.

tamen cum flexu ad septentrionem, ut quodammodo propius ad veritatem accedat.

CAPUT IV.

DE FIGURA MARIS CASPII.

Dicamus iam de figura maris Caspii, quo quod-plures formas induerit, vix inveniri potest. Quamquam enim multum hac in re turbavit summa eorum, qui de mari Caspio scripserunt, inscitia — quid enim iuvat STRABONIS, PLINII, ARISTOTELIS aliorumque celeberrimorum auctorum testimonia iactare, cum suis ipsorum oculis mare Caspium non adspexerint, nec nisi dubiam mercatorum et aliorum similium hominum fidem sequuti, quae acumini illorum probabiliora videbantur, nobis tradiderint; quare in tali re testimonia OLEARII, SIMONIS PETRI PALLAS summi viri, ut hos tantum adferamus, sexcenties plus auctorita-

 tis

tis habent, quam omnium istorum scripta, — nihilominus tamen non omnia vitio scriptorum sunt imputanda, sed plura ex maris istius mutationibus deducenda.

Ante omnia autem hic quaerendum esse videtur, num ab antiquis temporibus, ad nostram usque aetatem hoc mare clausum et mediterraneum esse putatum fuerit; an sinus potius cum Oceano cohaerentis figuram ipsi tribuerint auctores. Tenendum tamen est, non eum nexum nos innuere, quem, uti verosimillima conjectura adsequi possumus, cum Ponto Euxino et lacu Aral habuerit, quippe quorum pars procul dubio olim fuerit; multo minus etiam de subterraneis ejus faucibus loqui; sed de ea tantum ejus cum Oceano credita cohaerentia, quae in ejus figuram describendam apud auctores vim habuerit.

Atque in hoc quidem summam sibi laudem vindicat princeps historiographorum Herodotus, cujus sententiam[1]) cum supra jam adtulerimus, hic repetere nolumus.

Cui-

1) Lib. I. c. 202. 203.

Consentit cum eo ARISTOTELES [2]) his verbis: Ἡ δὲ Ὑρκανία καὶ Κασπία κεχωρισμέναι τε ταύτης (sc. τῆς ἔξω στηλῶν θαλάττης) καὶ περιοικούμεναι κύκλῳ.

[Cui neutiquam repugnat, quod ARISTOTELES [3]) dicit: πρὸς γὲ μὴν ταῖς ἀνασχέσεσι τοῦ ἡλίου, πάλιν εἰσρέων ὁ Ὠκέανος, τὸν Ἰνδικόν τε καὶ Περσικὸν διανοίξας κόλπον ἀναφαίνει συνεχῆ τὴν Ἐρυθρὰν θάλατταν διειληφώς. Ἐπὶ θάτερον δὲ κέρας κατὰ στενόν τε καὶ ἐπιμήκη διήκων αὐχένα, πάλιν ἀνευρύνεται τὴν Ὑρκανίαν καὶ Κασπίαν ὁρίζων· τὸ δὲ ὑπὲρ ταύτην βαθὺν ἔχει τὸν ὑπὲρ τὴν Μαιῶτιν λίμνην τόπον. Perverse hoc ita interpretati sunt: in septentrionali parte infert se Oceanus per angustas fauces, seque postea dilatat, oram Hyrcaniae et Caspiae terrae sc. alluens. Quis non videt, quam falsum hoc sit? illud Ὑρκανία καὶ Κασπία Aristoteli, uti

2) Meteorol. lib. II. c. 1.
3) De Mundo liber. c 3.

uti modo vidimus [4]), est Caspium sive Hyrcanium mare; subaudiendum igitur θάλασσαν, neutiquam vero γῆν. Ut illud ὁρίζων τὴν Ὑρκανίαν καὶ Κασπίαν sit: oram isthmi istius, qui a septentrionali parte maris Caspii est, alluens; qui isthmus, uti jam saepius observavimus, nimium a veteribus contrahebatur. Sic etiam de isthmio inter mare Caspium et Pontum dicit: καθ' ἣν (sc. Ὑρκανίαν θάλατταν) στενώτατος ἰσθμὸς εἰς τὸν Πόντον διήκει. Illud vero: τὸ δὲ ὑπὲρ ταύτην, pessime vertunt: Mare, quod supra Hyrcaniam est. Ecquod nomen generis neutrius mare significans v. c. πέλαγος praecessit, ad quod illud: τό referri possit? Recte ita exposueris: Quod vero supra Hyrcanium sive Caspium mare est, h. e. ille terrarum tractus, qui supra Maeotidem paludem invenitur. Innuit igitur auctor isthmium borealem intra mare Caspium, Maeotidem paludem et Mare septentrionale].

Idem

4) Meteorol. lib. II. c. 1.

Idem dicit PTOLEMAEUS [5]): ἡ δὲ Ὑρκανίας, ἡ καὶ κασπία θάλασσα, πάντοθεν ὑπὸ τῆς γῆς περικέκλεισται, νήσῳ κατὰ τὸ ἀντικείμενον παραπλησίως. Eandem opinionem DIODORUS SICULUS [6]) profitetur in his: δι' ἧς (sc. παρθυαίας) συμβαίνει περιέχεσθαι τὴν Ὑρκανίαν θάλατταν, οὖσαν καθ' αὐτήν. DIONYSIUS PERIEGETES [7]) Ἀλλ εἴη τὺ σχῆμα περίδρομον ἀμφιέλικτον πάσης Κασπίης μεγάλης ἁλός. Contra cum testimonio horum virorum certant auctoritates aliorum summorum geographorum, inprimis STRABONIS, qui [8]) quatuor esse praecipuos sinus adfirmat, ὧν ὁ μὲν βόρειος Κασπία καλεῖται θάλαττα, et ἔστι δ' ὁ κόλπος ἀνέχων ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ πρὸς μεσημβρίαν, καταρχὰς μὲν ἱκανῶς στενός· ἐνδοτέρω δὲ πλατύνεται προϊὼν καὶ μάλιστα κατὰ τὸν μυχόν. Idem [9]) POLYCLETUM vituperat, qui hoc mare

5) Geogr. lib. II. c. 1.

6) Lib. XVIII. p. 630. ex edit. STEPH.

7) V. 718.

8) Geogr. lib. II. p. 182. ALMEL.

9) p. 777.

mare paludem esse contenderit, ejusque argumenta ex dulcedine maris deprompta rejicit. In STRABONIS sententiam descendit PLINIUS, qui [10]) mare Caspium et Hyrcanium e Scythico oceano in aversa Asiae irrumpere [11]) scribit, cujus vestigia, ubi semper fere, pressit CAJUS JULIUS SOLINUS in Polyhistore suo [12]). Nec aliter de hoc mari judicat POMPONIUS MELA, cujus memorabilis locus [13]) hic est: "Mare Caspium, ut angusto ita longo etiam freto, primum terras quasi fluvius irrumpit, atque ubi recto alveo influxit, in tres sinus diffunditur". Et paullo ante [14]) dixerat: "Ex oceano Scythico Caspium mare profluere". Eadem sententia est DIONYSII PERIEGETAE [15]) Δεύτερος (sc. κόλπος) αὖτ' ὀλίγος

10) Hist. nat. lib. VI. c. 9 et 18.

11) Ex conject. SALMASII in exercit. PLINIAN. in SOLINI Polyhist. p. 210.

12) c. XXI.

13) De situ orbis lib. III. c. 5. § 3.

14) Lib. I. c. 2.

15) v. 47.

ὀλίγος μὲν ἀτὰρ προφερέστατος ἄλλων,
ὅσσ᾽ ἀποκιδνάμενος κρονίης ἁλὸς ἐκ Βορέαο
κόσπλη ἀίπυ ῥέεθρον ἐπιπροΐησι θαλάσσῃ.
Atqui versu trigesimo secundo mare boreale vocatur πόντος κρόνιος sive Saturnius. Patet igitur PERIEGETAE sententiam esse eam, ut mare Caspium sinus sit maris glacialis, qui respectu maris mediterranei, quod modo nominaverat, ὀλίγος μὲν, at respectu Persici et Arabici sinus, quem nominaturus est, προφερέστατος ἄλλων dicitur. Idem PERIEGETA postea [16]) de mari Caspio dicit: — ἄψ μὲν μετ᾽ ἄρκτους Ἑλκομένη προχοῇς ἐπιμίσγεται Ὠκεανοῖο. Idem AVIENUS, qui DIONYSII periegesin latine vertit [17]), dicit. His PLUTARCHUS quoque [18]) adstipulatur dicens: καὶ τούς γε φυσικοὺς ἄνδρας οὐκ ἔλαθε τἀληθὲς, ἀλλὰ πολλοῖς ἔτεσιν ἔμπροσθεν τῆς Ἀλεξάνδρου στρατείας ἱστορήκασιν, ὅτι τεσσάρων κόλπων εἰσεχόντων ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης, Βορεί-

16) V. 718.
17) V. 84.
18) In vita Alexandri.

βορειότατος οὗτός ἐστι τὸ Ὑρκάνιον πέλαγος, καὶ Κάσπιον ὁμοῦ προσαγορευόμενον. At omnium pessimam de mari Caspio profert ARRIANUS sententiam, quippe qui 19) ταύτην θάλασσαν κόλπον τῆς μεγάλης θαλάσσης non solum, sed paullo inferius 20) disertis verbis vel Indico Oceano confluum facit. Exhortabundus enim apud eum Alexander 21) ad perseverandum in expeditione milites, parvum tantum spatium reliquum sibi esse ἔς τε ἐπὶ τὸν ποταμόν τε Γάγγην καὶ τὴν ἑῴαν θάλασσαν· ταύτῃ δὲ ξυναφὴς φανεῖται ἡ Ὑρκανία θάλασσα· ἐκπεριέρχεται γὰρ γῆν περὶ πᾶσαν ἡ μεγάλη θάλασσα. Videmus itaque ut supra τὴν μεγάλην θάλασσαν esse Indicum Oceanum. Pergit Alexander: καὶ ἐγὼ ἐπιδείξω τὸν μὲν Ἰνδικὸν κόλπον ξύρρουν ὄντα τῷ Περσικῷ, τὴν Ὑρκανίαν τῷ Ἰνδικῷ. Eandem sententiam adfert CURTIUS 22) hisce

19) De exped. Alex. lib. V. c. 5. §. 6.
20) C. 26. 2.
21) L. c.
22) De exped. Alex. lib. VI. c. 14. §. 19.

hisce verbis: "Et quidam credidere non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere, cujus fastigium perpetua valle submittitur".

Nullus, quantum scio, veterum scriptorum hanc falsissimam ARRIANI sententiam amplexus est, quae quomodo animis geographorum sive historicorum irrepere potuerit, explicari vix potest. Non solum enim populos mari Caspio in orientali et meridionali parte adjacentes, innumerasque remotiores istas nationes in immenso inter Caspium et Indicum mare incolentes, probe noverant, eosque ARRIANUS ipse in expeditione Alexandri in Indiam describenda diligentissime recenset; verum etiam scribunt, Paropamisum et Imaum inde a meridionali Indiae promontorio usque ad Septentrionem, quatenus tunc patebat, tanquam insuperabilem murum inter Caspium et Indicum mare interjacere. Quos omnes populos levi negotio e terrarum superficie demens et nulla prorsus montium ratione habita, ARRIANUS Caspium mare ibi diffundit,

dit. Vidimus igitur ARRIANUM, in geographicis alias satis diligentem, in his turpissime, sibi repugnantem. De CURTIO vero dicere nil attinet, cum apud nullum fere scriptorem tantam in his atque similibus, vel levitatem, vel ignorantiam inveniamus. Ex falsa hac quorundam de mari Caspio opinione manavit iste rumor, ex India in Caspium mare navigari posse [23]; scribit enim PLINIUS: "Patefacta est India non modo Alexandri M. armis, regumque, qui ei successere, circumvectis etiam in Hyrcanum mare et Caspium Seleuco et Antiocho, praefectoque classis eorum, Patrocle"; de quo STRABO [24], ὁ μάλιστα πιστεύεσθαι δίκαιος. Verum, sponte intelligitur, hanc navigationem, terrenis itineribus interdum factis, perfecisse Patroclem [25].

Sed redeamus ad illorum sententiam considerandam, qui mare Caspium oceani septentrionalis sinum fecerunt, pro qua quidem,

23) Cf. PLIN. hist. nat. lib. VI. c. 17.
24) Lib. II. p. 118.
25) De quo cf. PLIN. c. l.

dem, uti ex laudatorum scriptorum testimoniis perspectum est, longe plurimi certabant. Ac primum quidem patet, hunc nexum nunquam locum habere potuisse, cum spatium intra Caspium et septentrionale mare immensum fere, et montibus, qui dicuntur Ural et Werchoturie, repletum sit; versus orientem autem mons Altai mare illud à septentrione arceat. Accedit quod, si per haec loca mare fluenta sua aliquando diffudisset, vestigia quaedam sui, ut in isthmo illo inter Pontum et lacum Aral, reliquisset. Nisi quis, uti GOSSELINUS 26) hunc cum oceano boreali nexum ante hominum memoriam obtinuisse contenderit; ingentem enim ibi rerum et terrarum conversionem quondam factam, inter alia multa et ossa monstrorum eruta testari videntur 27). Sed de hoc Ogygio tempore certi nihil statui potest. Quo,

26) GOSSELIN in Geographie des Grecs analysée. p. 103.

27) Cf. STRAHLENBERGS Beschr. des Nord. u. Oestl. Theils v. Europa u. Asia. c. XIII.

*) Quocunque autem modo haec sese habeant, hoc certo constat, jam Herodoti tempore terrarum istarum situm talem fuisse qui nexum inter Caspium mare et Oceanum septentrionalem non admitteret. At enim, dices, pugnat pro eo clarissimorum virorum auctoritas; cumque superiorum v. c. Herodoti et Aristotelis sententia eos haud fugeret, eo verosimilius videtur, istos contrariam sententiam, nisi ratione ductos probabili, nunquam in medium prolaturos fuisse. Est igitur primum tenendum, veteres eum errorem nunquam fortasse admissuros fuisse, nisi spatium illud, quod intra mare Caspium et oceanum borealem jacet, vel prorsus nullum, vel multo minus esse credidissent, eodemque modo orientalem Asiae partem in brevius contraxissent. Quapropter, cum ex Indico mari duos sinus, Persicum nempe et Arabicum, ex Atlantico mari Mediterraneum mare in terras incurrere viderent: nec boreale orbis latus sinu carere crediderunt, ideoque mare Caspium, cujus ἀρχαὶ οὔπω ἐξευρημένο-

το,

ro[28]), hunc sinum septentrionalem putaverunt. STRABO enim[29]), DIONYSIUS PERIEGETA[30]), PLUTARCHUS[31]) et alii, ubi de Caspio mari tanquam sinu loquuntur, hoc semper cum tribus reliquis sinubus conjungunt, ut conjectura magis et similitudine inducti, quam quod explorati aliquid habuerunt, mare Caspium sinum facerent.

Verba vero, quibus auctores isti in faucibus maris Caspii describendis utuntur, viros doctos in aliam sententiam induxerunt, quam, cum multa eam adfirmare videantur, hic adferre liceat[32]). STRABO enim loco supra jam laudato[33]) dicit: ἔστι δ' ὁ κόλπος ἀνέχων ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ πρὸς μεσημβρίαν, κατ' ἀρχὰς μὲν ἱκανῶς στε-

28) ARRIAN. lib. VII. c. 16.
29) Lib. II. p. 182. et lib. XI. p. 773.
30) V. 47.
31) In vita Alexandri.
32) Cf. PENZEL ad STRB. lib. II. s. 342.
33) XI. p. 773.

στενός· ἐνδοτέρω δὲ πλατύνεται; PLINIUS [34]) "irrumpit arctis faucibus in longitudinem spatiosis"; et POMPONIUS MELA [35]) "*Mare Caspium primum terras quasi fluvius irrumpit*". Quibus testimoniis patere videtur, veteres ostiis fluvii cujusdam sibi ignoti deceptos, mare Caspium angustis faucibus cum oceano septentrionali cohaerere credidisse. Quaeritur autem, quemnam fluvium potissimum intellexerint. "Atque hic quidem ostium Volgae longe lateque diffusum ultro se offerre videtur, nec alium freti vicem eodem jure sustinentem fluvium in istis regionibus inveneris. Sane, hoc si ponimus, vix jam poterit explicari, quomodo Graeci dulcem fluvii aquam cum salsis Oceani fluentis permutare potuerint, quippe qui secundum HERODOTUM [36]) in toto hoc mari navigarent; irrumpens enim fluvius dulcedine sua salem marinum per longum tractum vicisset, ut nautae, etsi non

34) Hist. nat. lib. VI. c. 13.

35) De situ orbis lib. III. c. 5.

36) Lib. I. c. 202.

non ad ipsum fluminis os accessissent, flumen tamen aliquod aquam suam mari admiscere animadvertissent. Forsitan tamen communis istorum temporum opinio, de qua infra pluribus dicemus, haustum nempe hujus maris dulcem esse, errorem texerit. Ponamus igitur fauces istas oceani ostia proprie fluvii cujusdam fuisse, et quidem, uti plerisque placet, Volgae sive Rha fluvii: dispiciendum est, num haec conjectura fidem mereatur. Ac primum quidem ostium Volgae tam latum est, ut freti speciem omnino prae se ferat; deinde etiam fluvii Rha perrara apud veteres mentio fit; apud Strabonem v. c. non invenitur, nec tamen credendum est, tam latum tanti fluvii os diligentiam veterum scriptorum inprimisque Strabonis prorsus latuisse. Haud absonum igitur videtur, eos illud pro faucibus maris septentrionalis habuisse. Quod si vero hoc ita esse credimus, sequeretur contra, omnes eos auctores, qui mare Caspium clausum putassent, fluvii Rha mentionem facere debuisse, quod apud Hero-

 dotum

DOTUM secus fuit. Etsi enim HERODOTUS ceterique, quorum eadem de mari Caspio est opinio, et Rha fluvium ignorare et nexum maris cum boreali Oceano negare poterant, apparet tamen, istorum certe sententiam corruere, qui ex eo solo, quod veteres fluvii Rha mentionem non faciunt, continuitatem maris cum oceano adfirmare volunt. HERODOTUM vero istius fluvii admodum fluxam et vagam habuisse notitiam, infra, cum de fluviis in mare Caspium se exonerantibus dicemus, quantum poterimus, certis argumentis demonstrare conabimur. Praeterea mirum foret, si nemo istorum scriptorum, quorum rectior de hoc mari est sententia, inprimis PTOLEMAEUS, qui satis luculenter de fluvio isto Rha disputat, istius vitii meminisset. Sed, quod istorum prorsus sententiam subvertit, non desunt auctores, qui fauces istas norunt, simulque tamen Rha fluvii mentionem faciunt. Locus classicus legitur apud POMPONIUM MELAM [37]: "Multi in eo sinu magni parvique

37) Lib. III. c. 5. §. 4.

qui amnes fluunt: fed qui famam habet, ex Ceraunîis montibus uno alveo defcendit, duobus exit in Cafpium *Rha*". Quod nomen perditum recte reftituerunt PINTIANUS, VOSSIUS et GRONOVIUS, cum olim peffime legeretur "Cafius". Is enim, breviffimum fpatium emenfus, in mare Cafpium uno tantum ore incidit, neque ullo modo inter eos recenferi poteft, qui famam habeant. Quem vero, quaefo, fluvium Rha celebriorem nominare poterat, fi Araxem, vel Cyrum, vel Oxum tacere volebat, quorum tamen nomina POMPONIUS haud ignorabat. Cetera omnia fere optime in Rha fluvium PTOLEMAEI quadrant. Hanc vero PTOLEMAEI de Rha fpinofiffimam difputationem, infra in capite de fluminibus denuo repetendam, miffam faciamus, ac fummam rei, quatenus huc pertinet, nunc perftringamus. MELA fluvium iftum ex Montibus Ceranniis derivat, PTOLEMAEUS vero ex Hyperboreis montibus. In volgus notum eft, horum montium fitum certo definiri non poffe; hoc tantum conftat, verfus aquilo-

 nem

nem esse sitos et ad idem procul dubio montium jugum pertinere. Quamquam igitur PTOLEMAEUS Ceraunios montes [38] multo meridionaliores facit, quam Hyperboreos; STRABOQUE [39]) istos montes ad mare Caspium magis vergere dicit; tamen, cum in iis regionibus, in quibus PTOLEMAEUS Ceraunios montes ponit, nulli prorsus sint [40]) montes, sed immensa usque ad Maeotidem paludem planities pertineat, per se patet, illos magis in Aquilonem esse deprimendos, inque unum magis cum Hyperboraeis montibus coire. Quapropter MELA hic minime urgendus est, ac sufficit tenere, utrumque auctorem hoc flumen ex boreali montium jugo derivare, quod omnino in Rha fluvium quadrat. PTOLEMAEUS quidem fluvio geminos fontes longissimeque distantes adscribit. Orientalis enim Rha fontem sub nonagesimo, occidentalis sub septuagesimo longitudinis gradu ponit; quam commo-

38) Lib. V. c. 9.
39) Lib. XI. p. 766.
40) Cf. ejus tabulae II. Asiae.

communem quidem, sed falsam opinionem infra persequemur; utrunque autem Rha fluvium in quinquagesimo octavo latitudinis gradu confluentem, uno postea alveo in mare Caspium descendere ait. Cumque commixtionis clima tam longinque in septentrionem vergat, haud mirandum est, Melam, ut ceteros omnes, duplicem Rha fluvii fontem ignorasse, nec inde colligendum, eum in loco isto Rha prorsus non significasse. At major in ostiis, quae uterque auctor adfert, conciliandis oritur difficultas. Ptolemaeus unius tantum ostii mentionem facit, cujus latitudo est 48°,50′; longitudo 87°,36′ [41]); Mela vero duo ostia adfert. Jam vero Rha fluvius non duobus tantum, sed multis admodum ostiis in mare Caspium se infert; quorum plurima certe seriori demum post Ptolemaeum tempore orta fuerunt. Haec omnia simul complexus est Ptolemaeus, simili Pomponiano errore; aeque enim falsum, Rha fluvium neq

atque

41) Cf. tab. II. Asiae.

atque duobus exire, ostiis. Quapropter ne- cio an utrumque auctorum conciliandi di- ficultas dimoveri non possit; cumque ceter quadrent, in hoc nequaquam haerendum cum nec PTOLEMAEUS verum suppeditet si diligentius rem spectas. Notum praete- rea est, Volgam haud ita procul mari in duo praecipua brachia divergere, innumeris quidem rivulis et canalibus inter se cohae- rentia, ad quorum alterum sita est urbs Krasnojar, ad alterum ubs Astrachan. For- sitan MELAE temporibus, quod satis pro- babile est, aqua per plurimos istos minores canales nondum viam sibi fecerat, ideoque auctor rectius quam nunc de duobus ostiis loqui poterat.

Quapropter verisimillimum esse videtur, MELAM in loco illo de Rha fluvio locutum esse. Tunc autem simul comprobatum est, eorum opinionem nil veri habere, qui ostium Volgae maris Caspii in Oceanum septentrionalem fauces putatum esse existi- ment. Praeterea vero Volga veteribus non tam ignota erat, quam quis forsitan credi-

derit.

[Fin]iit. Praeter PTOLEMAEUM enim, POMPONIUM MELAM et AMMIANUM MARCELLINUM, meminit ejus AGATHEMERUS [42]) quoque; nam scribit: εἰς τὴν κασπίαν θάλασσαν ἵενται Ὄξος, Ἰαξάρτης, Ῥύμμος, Ῥὸς, Κῦρος, Ἀράξης. Ad nullum alium fluvium, quam ad Rha, referri potest nomen Ῥὸς, cum Araxem diserte nominarit, cujus nomini Aras, Ras, vel Rhos haud absonum foret, praesertim cum Geographus Nubiensis [43]) Araxem ita adpellet: "Armeniae terram adluunt duo flumina celebria, nempe flumen Ros et flumen Cor, sc. Araxes et Cyrus." Sed et ordo fluminum justissimus est, si Rha intelligitur sub isto vocabulo. His forsitan quis adderet HERODOTUM, cujus Araxem [44]) aliqui ad Rha fluvium transferre volunt [45]). Sed de his pluribus infra dicendum,

42) In compend. geogr. exposit. lib. II. c. 10. in HUDS. geographis min. tom. II.

43) Clima V. pars 7.

44) Lib. I. c. 202.

45) BAYERUS in dissert. de originib. et pri-

feis

cendum, cum res admodum sit incerta. Quodsi vero geographis placet fluvium quendam fauces istas veteribus memoratas putare; nescio cur non melius hanc sententiam ad borealiorem fluvium, quam Rha est, transtulerint v. g. ad fluvios Yemba sive Ural, quorum vix ullus veterum praeter PTOLEMAEUM mentionem facit. Utriusque vero fluminis cursus, quanquam cum Volga haud comparandus, ingenti tamen alveo secundum RUBRUQUIS, JENKINSONIUM omnesque recentiores in Caspium mare exoneratur, faucibus maris haud dissimilis.

Hic tamen non praetereundus est recentiorum, inprimisque viri docti DELISLE [46]) error, qui eam ob causam a veteribus nexum illum maris cum oceano septentrionali vel creditum vel confictum esse arbi-

scis sedib. Scytharum in Comment. Petrop. tom. I. p. 393. sive in BAYERI opusculis ed. a KLOTZIO p. 69. WALCH comment. de Cyri expedit. in Massagetas. Goetting. 1767. 4. et SARCHER ad HEROD. c. l.

46) Mémoir. Acad. des Scienc. 1721. p. 247.

arbitrantur, ut intelligerent, qui fieri posset, ut mare istud tot tantosque fluvios hauriens non exundaret. Cujus consilii ne levissimum quidem vestigium in testimoniis supra allatis invenire possumus; quin potius in eo consentiunt, *Oceanum in mare Caspium irrumpere*; et si quis testimonium PERIEGETAE e versu septengesimo decimo octavo afferre velit, ubi dicit: (Κασπίη) μετ' ἄρκτους Ἑλκομένη προχοῇς ἐπιμίσγεται Ὠκεανοῖο, is cogitet, poetam non esse urgendum, et eundem versu quadragesimo septimo prorsus contrarium contendere, ibi enim de Caspio sinu ita: ὅστ' ἀπικιδνάμενος κρονίης ἁλὸς ἐκ Βορέαο Κασπίη αἰπὺ ῥέεθρον ἐπιπροΐησι θαλάσσῃ. Non amplius dicere juvat, quam absurdum sit, veteres talis stoliditatis insimulare, quasi per irrumpentem fluvium mare exonerari credidissent.

Alia ratione in hac de nexu maris cum Oceano explicanda difficultate usus est SAINTE-CROIX 47), quae an praecedenti melior

47) In Examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand.

melior sit, nescio. Is enim Scythas mercaturam facientes, adverso flumine Volgam adscendentes, terra deinde mercibus ad flumen Petzora usque transportatis, eo amne in Oceanum septentrionalem delatos esse narrat [48]); indeque, cum exiguum tantum iter terrenum faciendum fuisset, rumorem de continuitate Maris Caspii et Oceani a Scythis istis profectum esse. Quae explicatio quamquam satis speciosa, rejicienda tamen videtur, cum mera sit conjectura, nec ulla veterum scriptorum auctoritate nitatur. De hac enim veterum Scytharum mercatura ad oceanum septentrionalem facta nihil nobis ab auctoribus Graecis proditum est, nec illi populi, quibuscum commercium intercedere potuisset Scythis, nominantur; et Ptolemaeo contra et Straboni ista in septentrionem tam longe vergentia loca deserta vel incognita produntur. Huc accedit, quod testimonia veterum scriptorum, qui mare Caspium sinum maris borealis vocant,

48) Adfert. Buache voyage p. 147. Strahlenberg Beschreib. d. russ. R. I. p. 301.

cant, cum hac conjectura minime consentiunt. Nam propter talem continuitatem, quae per fluvios obtineret, mare Caspium sinum vocare non potuissent. Quodsi vero per fluvium utrumque mare cohaerere credidissent, non minus hoc indicassent, quam Plinius[49]) nobis retulit, ex India per varia flumina in Pontum Euxinum navigari posse.

Quae cum ita sint, nescio an meliorem rationem adferre non possimus ea, quam supra jam attulimus: Graeci, cum mare meridionale duos sinus in mare immittere viderent, a re cognita ad incognitam conjecturam facientes, mare Caspium pro sinu borealis Oceani habuerunt; idque ita esse, ea de causa arbitrati sunt, quod neque terras neque incolentes septentrionalem maris partem populos noverant; itaque omne illud spatium, quod interjacet inter mare Caspium et oceanum septentrionalem, contraxerunt et ex orbis terrarum situ fere exemerunt. Meliorem certe istius nexus expli-

49) Plin. hist. nat. lib. VI. c. 17.

explicandi rationem neque ipsi veteres adferunt; imo ad conciliandam istorum sententiam cum iis, qui clausam hoc mare putarunt, ad subterraneas fauces missere confugiunt; quod docet EUSTATHIUS [50]) his verbis: scriptores discordiam istam componere studebant contendentes: ὅτι τάχα διὰ τόπων ἀδήλων ὁ κρόνιος Ὠκεανὸς ἑαυτὸν ἐκπέμπων ἀναδίδωσι τὸν Υρκάνιον κόλπον. Quae vero explicandi ratio facillima omnino, sed eadem ineptissima est. Omnino autem vix intelligi potest, qui factum sit, ut falsa illa opinio tam diu inter veteres locum obtinuerit, cum tamen, uti HEERENIUS, vir clarissimus [51]), docuit via mercatorum ex coloniis Graecis ad Pontum Euxinum sitis supra mare Caspium in mediam Asiam usque ad Massagetas ferret [52]). Mirum igitur est frequentibus mercatorum

itineri-

50) Ad DIONYS. PERIEG. p. 47.

51) In libro ejus: Ideen über die Politic etc. tom. I.

52) Cf. mappam geogr. quam HEERENIUS ad tom. I. delineandam curavit.

itineribus eam ad liquidum perductam non esse.

Nostris quidem temporibus geographos non latet mare Balticum per canalem ad Wischney Wolotschok a Petro I. imperatore jam inchoatum, perfectum vero demum Catharina I. imperante cum Oceano septentrionali cohaerere; quem αὐτόπτης descripsit [53]) Coxe.

Videmus igitur ambitum huic mari a veteribus haud consensu undique circumclusum tribui; imo potius figuram ejus a multis iisque celeberrimis ita describi, ac si oceani septentrionalis sinus esset. Neque recentiori aevo falsa haec opinio evanuit, sed ad Olearium usque geographos fefellit; quippe nec Jenkinsonius, quamquam boreale maris Caspii litus circumvectus, inveteratam istam opinionem delevit. Olearius vero, qui cum in multis aliis, quae hoc mare spectant, magnopere meritus est, tum et in hoc quod, re diligenter explorata certis-

53) In Itinerar. Vol. II. p. 197.

certissimisque Persarum ceterorumque accolarum testimoniis fretus, contrarium tam luculenter evicerit, ut post eum, antequam Petrus I. Russorum imperator ad illustrandum hoc mare animum adverteret, neminem pro continuitate maris Caspii cum oceano pugnantem inveniamus, et ex eo inde tempore a multis, praesertim nostratibus, non mare sed lacus, *Kaspische See*, nuncupatum sit, quo nomine jam utitur AMMIANUS MARCELLINUS 54).

Sed jam redeamus ad considerandam hujus maris figuram, qualis ab auctoribus descripta est. HERODOTUS quidem de figura ipsa maris nihil prodidit, praeterquam quod undique clausum esse narrat; sed ex longitudinis et latitudinis computatione patet, eum hoc mare oblongum finxisse. Idem de PTOLEMAEO dicendum. Apud STRABONEM in sinus rotundioris figuram hoc mare descriptum esse jam vidimus. Multi scriptores ei speciem, in lunae crescentis figuram

54) Lib. XXIII. c. 6. et OLEARIUS Persian. u. Moscow. R. lib. IV. c. 16.

nam conformatam tribuunt. Agathemerus[55]: ἡ μὲν Ὑρκανία ἤτοι Κασπία θάλασσα μηνοειδὴς ἐστὶ, κατὰ δὲ τινὰς καὶ προμήκης. Τὸ μηνοειδὴς vero ita intelligendum crediderim, ut ad flexionem versus septentrionem referatur. Omnes enim ii scriptores, qui longitudinem ab oriente in occidentem ponunt, situm maris ita tamen describunt, ut "aliquando cum flexu" ad septentrionem vergat; τὸ προμήκης vero oblongam nec incurvatam maris formam designet. Plinius[55]) de hoc mari ita: "Irrumpit autem arctis faucibus in longitudinem spatiosis; et ubi coepit in latitudinem pandi, lunatis obliquatur cornibus, Scythici arcus similitudine". At Scythici arcus forma est μηνοειδής. Curtius idem affert[56]): "Duo ejus terrae, ad mare Caspium scilicet sitae, velut brachia excurrunt; media,

55) In comp. geogr. exposit. lib. I. c. 3. in Huds. geogr. min. tom. II.

55) Hist. nat. lib. VI. c. 13.

56) Lib. VI. c. 4. §. 16.

media flexu modico sinum faciuit, lunae maxime similem, quum eminent cornua nondum totum orbe sydere implente". Minus perspicua est DIONYSII PERIEGETAE sententia, qui 57) de mari Caspio dicit: Ἀλλ' εἴη τοι σχῆμα περίδρομον ἀμφιέλικτον πάσης Κασπίης μεγάλης ἁλός. Τὸ περίδρομον enim Hesychius interpretatur περιφερές, στρογγύλον, ut nil nisi undique clausum vel omnino rotundum esse possit, figuraque maris dubia relinquatur; ἀμφιέλικτον autem, uti neminem latet, valere in gyrum actus; quod clarius rotundam figuram innuere videtur; at EUSTHATHIUS qui in DIONYSII Periegesin commentatus est, ad hunc locum observat: οὐδὲ Πτολεμαῖος κυκλοτερῆ αὐτὴν, sc. Κασπίαν θάλασσαν, ἱστορεῖ, ἀλλὰ σφενδόνῃ ἐοικυῖαν ὑποτίθεται. Quod ita accipiendum erit: neque DIONYSIUS PERIEGETA, neque PTOLEMAEUS hoc mare rotundum descripsere. Jam vero neminem fugit, σφενδόνην ellipseos figuram referre, quam vere PTOLEMAEUS

57) Periegeseos v. 718 et seq.

magus mari Caspio tribuit. Eam quidem interpretationem secundum EUSTATHIUM admittunt verba DIONYSII: περίδρομον, ἀμφιλαφές, ut illud sit, undique terra cinctum, hoc; oblongum, ovatum.

Non minus in describenda maris Caspii forma variant Geographi medii aevi. ABULFEDA refert; alios isti mari figuram ovatam, alios triangularem, alios perae pastoralis formam tribuere. Apud ipsum ABULFEDA mare rotundum fere est; latitudo saltem ab oriente non multum inferior est longitudine a septentrione vergenti versus meridiem. Eandem formam habet in mappis geographicis secundum BENJAMINIS JOANNIS DE CARPINI, ASCELINI et GUILIELMI DE RUBRUQUIS Hodoeporia delineatis [58]. Contra vero Itinerario AVRIL societatis Jesu annexa est tabula geographica, quae mare Caspium forma quadrata descriptum exhibet; quod vitium eo severius

58) Quas vide apud BERGERON: Voyages fait principalement en Asie.

severius notandum est; quoniam is post Olearium iter suum instituit. Post illum vero rectior maris Caspii figura in mappis geographicis descripta est, ut scilicet forma oblonga a septentrione in meridiem, utrinque tamen cum flexione, praesertim in boreali latere, versus orientem, vergat; cui adprime illud "μηνοειδὴς" veterum scriptorum respondere videtur. Hunc sinum orientalem in septentrionali maris Caspii parte Jenkinsonius mare caeruleum vocat. Rectissima denique hujus maris forma in iis tabulis adumbrata est, quas Petrus primus Russorum imperator delineandas curavit; quae tum in omnes recentiorum mappas effluxit.

Atque in hoc mirandum videtur, vetustiores auctores rectius formam maris descripsisse. Omnes ei, uti vidimus, figuram lunatam, μηνοειδῆ, πρoμήκη, ἀμφίκλιτον tribuunt; medii vero aevi scriptores quadratam fere sive rotundam: donec nostra tempora tandem rei veritatem investigarunt. Jam vero, si quis istam formae maris varieta-

aetatem apud scriptores ex variis ipsius maris mutationibus repetere vellet, hoc certe ipsi obstaret, quod ambitus maris certe decrevit, nec ideo figura ejus latius expandi potuit, quod tamen fit apud scriptores medii aevi, usque ad OLEARIUM, qui latitudinem longitudini fere aequalem constituunt. Nec inde res explicari potest, quod veteres mare ab oriente in occasum porrectum esse crediderunt; tunc enim latitudo maris a septentrione in meridiem accrevisset, quod utrinque tamen oppositi montes prohibent. Omnium maxime PTOLEMAEI forma veterem maris figuram referre videtur, sed cum HERODOTI illam praecesserit, rejicienda ut falsa, sicut omnes ejus formae ex medio aevo. De figura maris hactenus.

CAPUT V.

DE AMBITU ET MAGNITUDINE MARIS CASPII.

Sequitur, ut de ambitu et magnitudine maris Caspii disputemus. Jam supra quidem de HERODOTI mensura diximus, addenda tamen hic aliqua suo loco videntur. Longitudinem maris quindecim dierum navigatione et latitudinem octo dierum confici scribit [1]). Quaeritur itaque, quantus cursus navi remis actae per diem adsignandus sit. Ipse HERODOTUS [2]) septingentorum stadiorum, quae ex septuaginta millibus orgyiarum efficiuntur, diurnum navis cursum esse adserit. Nocturnum navis cursum ad sexcenta stadia constituit. Aliter THEOPHILUS apud PTOLEMAEUM [3]) diurnum

1) Lib. I. c. 203.
2) Lib. IV. c. 86.
3) Lib. I. c. 9.

num; maximumque navis cursum ad mille stadia computat; at eodem libro 4) cursum navis propter navigationis difficultatem et ventorum varietatem ad quadringenta sive quingenta stadia restringit, additque ex tali computatione vix certi quidquam effici posse. Cum priori Ptolemaei computatione consentit Scylax in periplo suo 5), qui etiam mille stadia die nocteque navigando confici scribit. Atque hic quidem calculus proxime ad verum accedere videtur; detractis enim nocturni cursus quingentis stadiis, restant quingenta stadia circiter undecim milliariis geographicis aequalia. Tunc vero quindecim dierum longitudo centum sexaginta quinque, octo dierum latitudo octoginta octo milliaria geographica aequat. Quod vero a superiori ratione, quam attulimus, haud ita multum discrepat, et cum optimorum recentiorum auctorum, inprimis autem cum Oliveri et Caroli van Ver-

DEN

4) C. 17.
5) Hudson, geogr. min. tom. I.

ratio calculo prorsus congruit. Multum enim
sibi persuadent, summam hanc itineris etiam
HERODOTI computationem tam accurate
enucleare se posse, ut vel singula milliaria
cum veteris rationibus conveniant: quippe
si ad hoc respicere volueris, motus et re-
centiorum de magnitudine hujus maris est
dissensio, ut homines quidem conciliare po-
tuerit, alii ex conspectu longitudinum et
latitudinum, quem in calce hujus capitis
subjicere volumus, adparebit. Ponamus
vero, quod scilicet falsum est, HERODO-
TUM eundem septingentorum stadiorum di-
urnum navis cursum, quem in libri quarti
capite octogesimo sexto refert, etiam hic in
mente habuisse, tunc maris latitudo efficere-
tur centum et viginti, longitudo ducento-
rum et triginta milliarium; qui calculus,
ut ceteros taceam, nec ex PTOLEMAEO
quidem defendi potest. Is enim longitudi-
nem maris, ab oriente in occidentem por-
rectam, centum et viginti milliaribus ma-
jorem fecit; quare si quis HERODOTI cal-
culum ex prissina maris figura et situ deri-

vate

esse vellet; tamen hoc obstaret, quod mare Caspium decreverit necesse est, contra quam ex PTOLEMAEI auctoritate sequitur. At si quingenta stadia in diem computantur, HERODOTI mensura optime cum aliorum opinione componi potest.

Progrediamur nunc ad STRABONIS sententiam, qui, quamvis luculentius at minus recte de magnitudine maris Caspii disputavit. Locum ejus describere hic licet 6). Ὁ κόλπος (jam supra demonstratum est, eum mare Caspium ita nuncupare), ἐνδοτέρω πλατύνεται πρὸς νότον, καὶ μάλιστα κατὰ τὸν μυχὸν, ἐπὶ σταδίους που καὶ πενταχισχιλίους. Ὁ δ' εἴσπλους μέχρι τοῦ μυχοῦ μικρῷ πλείων ἂν εἴη, συνάπτων πως ἤδη τῇ ἀοικήτῳ. Forsitan quis in hoc loco offenderit propter ambiguitatem vocis μυχὸς, quippe quae tum ad borealem tum ad meridionalem maris recessum referri possit. Jam vero in istis, ubi STRABO mare Caspium κατὰ τὸν μυχὸν πλατύνεσθαι dicit, πρὸς νότον sc. e septentrione, quin littora meridio-

6) Lib. XI. p. 773. ALMELOVI.

ridionalis innueris, nullum dubium est, ibique mare expandi, in Orientem et Occidentem, ad quinque millia stadiorum perhibet. Pergit vero auctor: ὁ δ' εἴσπλους, μέχρι τοῦ μυχοῦ — συνάπτων πως ἤδη τῇ ἀοικήτῳ, quae verba ne perverse intelligantur propter illud: συνάπτων τῇ ἀοικήτῳ; verte: introitus exorsus sive incipiens a terra inhospitabili usque ad recessum. Confirmatur haec interpretatio alio Strabonis loco 7), ubi τὸν μυχὸν maris Caspii ad Armeniacos et Medicos montes constituit et ab hoc recessu maris Caspii ostium sex millia stadiorum distare dicit, quo quidem illud: ὁ δ' εἴσπλους μικροῦ πλείων ἂν εἴη declaratur. Inde autem satis superque patet, quod supra jam contendimus, foedo eos errare, qui Strabonem longitudinem maris ex Oriente porrexisse arbitrantur. Ex ejus computatione autem longitudo maris est centum triginta trium; latitudo centum et undecim milliarium geographicorum.

Ambi-

7) Lib. II. p. 127.

Ambitum vero maris Caspii ex Eratosthene discere licet, cujus locum Strabo [8]) et Plinius [9]) iisdem fere verbis referunt. Intervalla ab utroque auctore ita disponuntur: per Cadusiorum et Albanorum oras quinque millia et quadringenta stadiorum; per Anariacos, Mardos et Hyrcanos ad ostia Oxi, apud Plinium legitur Zoni fluminis, quatuor millia et octingenta stadiorum; inde ad ostium Jaxartis duo millia quadringenta stadiorum. Apud Plinium falso mille quadringenta, quippe tunc calculus cum Pliniana summa non consentit. Quae stadiorum duodecim millium et sexcentorum summa efficit secundum Plinium quindecies centena septuaginta quinque millia passuum. Quodsi vero unum nostrum milliare geographicum quadraginta octo stadia, vel sex milliaria Romana aequant, sunt ducenta octoginta milliaria geographica. Quam summam autem dimidium fere tantum verae circumferentiae hu-

jus

8) Lib. XI. p. 775.

9) Hist. nat. lib. VI. c. 16.

jus maris sistere, tum veterum, tum recentiorum auctorum testimonio constat. Agathemerus enim 10) ambitum viginti millium stadiorum facit, quod quadringenta nonaginta milliaria geographica aequat. Carolus van Verden autem 11) ultra quingenta milliaria ambitum auxit. Atque omnino Eratosthenes in ista computatione nisi dimidiam, at tertiam certe totius ambitus partem omisit, spatium nempe inde ab ostiis Jaxartis usque ad Albanorum et Cadusiorum oras, quod secundum Ptolemaeum et ex recentioribus secundum Jenkinsonium 12) ad ducenta fere milliaria geographica aestimatur. Quibus ad superiorem summam additis, totius ambitus vera magnitudo cum Agathemeri et Caroli

VAN

10) Geograph. exposit. lib. I. c. 3. Hudson. tom. II.

11) Inspiciatur ejus maris Caspii mappa geographica; cujus in minorem modulum redacta adumbratio invenitur in Mémoir. de l'Acad. des Scienc. l'an MDCCXXI. p. 254.

12) Cf. istius tabul. Asiae II et VIII. (?

VAN VERDEN computationi tam bene congruit, quantum in tali re unquam desiderari potest. Vix operae pretium est observare, quod ARTEMIDORUS [13]) adfert, qui ambitum viginti quinque milliaribus Romanis minorem facit. Sed aliam maris Caspii mensuram debemus eidem PLINIO, quam AGRIPPA ipsi subministravit [14]). Is longitudinem maris ad quadringenta nonaginta et latitudinem ad ducenta nonaginta milliaria Romana contraxit; qua quidem nulla, quantum reperire potuimus, computatio est parcior nec vitiosior.

Quamquam vero in litoris tam sinuosi impedita dimensione quibusdam in milliaribus haerendum non est, tamen DIONYSII (PERIEGETAE) computatio minime pro vera habenda, sed poetice auctor loquutus esse censendus est, cum [15]) dicit: — οὐκ ἂν ἐκείνην, Sc. Κασπίαν θάλασσαν, Νηὶ περήσειας τριτάτης ἐπὶ κύκλα σελήνης. Τόσ-

σος

13) Apud PLINIUM c. l.

14) C. l.

15) Periegeseos v. 721.

σος γε πέρας ἐστὶν ἀμείλιχον, quod Eustathius per μέγαν, explicat, quod tribus mensibus hoc mare κατὰ τὴν κύκλῳ περίοδον circumire non possis, quamquam illud πλεύσεως trajectum potius innuere videtur. Anonymus vero, quod magis placet, ἀμείλικτον interpretatur σκληρὸς, δυσπέρατον, ut ad difficilitatem navigationis referatur, diuturnumque hoc temporis spatium veritati minus absonum videatur; nam et JENKINSONIO ex ostiis Rha ad portum Manguslave usque naviganti, ingens temporis spatium est insumtum. CLITARCHUS apud PLINIUM [16]) mare Caspium non minus Ponto esse adfirmat, quod, quantum ad ambitum adtinet, a vero haud ita multum aberrat, is enim ab AGATHEMERO [17]) ad viginti quinque millia stadiorum aestimatur; neminem tamen latet Pontum multo latius, quam Caspium mare, esse diffusum.

Idem

16) Lib. VI, c. 13.

17) Lib. II. c. 14.

Idem AGATHEMERUS longitudinis et latitudinis dimensionem exhibet [18]), secundum quam mare illud ex oriente in occidentem porrectum esse putavit. Longitudinem ab ostio Cyri usque ad Jaxartem octo millium et ducentorum stadiorum, mille nonaginta quatuor Romana milliaria aequantium; et latitudinem duorum millium et quingentorum stadiorum, trecenta triginta quatuor milliaria aequantium fecit. Quodsi vero calculum stadiorum cum ratione milliariorum consentire vis, majoribus paullo stadiis, quorum fere quadraginta quinque geographicum milliarium et quorum septem cum dimidio Romanum milliarium conficiunt, auctor usus esse putandus est.

[Difficultas tamen inde oritur, quod supra sex tantum stadia in milliarium Romanum computanda erant, quamquam quadraginta octo ad nostrum milliarium efficiendum necessaria erant; quare utriusque calcu-

18) In HUDSON. geogr. tom. II. geogr. expos. lib. II. c. 14.

calculus, ſtadiorum et milliarium diverſu eſt modulus].

Tunc vero ex iſtis exſiſtunt longitudinis centum octaginta duo; latitudinis quinquaginta ſex milliaria geographica. Quae computatio cum multorum aliorum calculo, uti tabula infra adjicienda docebit, bene convenit, niſi quod AGATHEMERUS errore temporis ſui laborans, ſitum maris vitioſe deſcripſit. Ceterum vix ullus poſt HERODOTUM ex veteribus auctoribus tractum et ambitum hujus maris melius tradidit.

Ex principibus auctoribus unus PTOLEMAEUS adhuc ſupereſt, de cujus nunc ſententia circa maris Caſpii ambitum dicendum, idque diligentius, quo magis ab omnibus reliquis diſcrepat. PTOLEMAEUS longitudinem maris ab oriente in occidentem extendit, quod ſupra jam vidimus. Magnitudinem vero ex ſitu horum fluviorum deſcribere licet: oſtium Rha fluvii, ubi mare Caſpium maxime in ſeptentrionem vergit, ponit noſter ſub 48°, 59′ gradu latitu-

itudinis borealis [19]); Ostium Stratonis ..., qui maxime meridionalis est sub ...° latitudinis gradu [20]. Longitudinem ... orientalem designat ostium Polytimeti ..., in imo maris recessu versus orien... sub 103° gradu longitudinis [21]. Lon... ...o-occidentalis denique designatur Cyri ... sub 79°, 40′ longitudinis gradu [22]. ...his patet, PTOLEMAEUM hoc mare inde ...eptentrione ad meridiem per 8°, 50′; ...oriente vero in occasum per 23°, 20′ ...endisse, itaque centum triginta trium la...dinem, longitudinem vero ducentorum ... et quinquaginta fere milliariorum geo...aphicorum (neutiquam enim singulis gra...bus istorum parallelorum, qui medium ...re Caspium secant, plus decem sive un...cim milliariis tribui potest) i. e. quater ... quinquies majorem fecisse, quam plu... rimos.

[19]) Lib. V. c. 9. tab. II. Af.
[20]) Lib. VI. c. 2. tab. V. Af.
[21]) Lib. VI. c. 14. tab. VII. Af.
[22]) Lib. V. c. 12. tab. III. Af.

rimos, praeter ipsum geographos. De ... rore isto, quem PTOLEMAEUS in cli... maris constituendo admisit, in initio h... capitis dictum est; restat, ut dispiciam... an PTOLEMAEUS enormem istam maris l... gitudinem vitio geographico, quod a ... sollerti geographo alienum videtur, an i... neis de causis in mappis suis posuerit.

Viros doctos non latet, quod infra d... monstraturi sumus, lacum Aral aliquan... et antiquissimo tempore, uti fere certissi... argumentis ostendi potest, maris Cas... partem fuisse; hinc facile in eam aliq... adduci posset sententiam, PTOLEMAEI tem... pore utrumque mare nondum separatu... fuisse, itaque in geographia PTOLEMA... mare Caspium, lacum istum simul com... plexum, in tam longum tractum ab aucto... diductum esse. Confirmatur haec opin... eo, quod Lacus istius Aral vix ulla ap... veteres mentio fit, nec ulli spatium int... mare Caspium et lacum Aral incolentes p... puli, a veteribus recensentur. Lacus Oxi...

no...

... enim, de quo ipse PTOLEMAEUS 23) ...quitur, sive Oxia palus, cujus AMMIA... MARCELLINUS 24) meminit, tam in...tem lacum aquae marinae haud innuere ...detur 25). Jam vero qui fieri potuit, ... veteres, qui Asiam superiorem ad Jaxar... usque in lacum Aral sese exonerantem ...verant, tam ingens aquarum alveus la... posset? Quapropter aut lacum Aral ...o tempore prorsus nondum exstitisse, aut ...spium mare ad illum usque terminum ...tinuisse credendum est. At neutrum ex ...stra quidem sententia admittendum esse, ...culiari de lacu Aral capite infra docere ...atori sumus; quare nunc tantum videa...mus, quomodo PTOLEMAEI sententia ex ...nta difficultate sit expedienda.

Ac primum quidem tenendum est, ve...tes isthmum illum inter mare Caspium ...t lacum Aral interjacentem, prorsus igno... rasse,

23) Lib. VI. c. 12.

24) Lib. XXIII. c. 6.

25) Cf. quae in capite VIII. disputantur.

rasse, quippe nec HERODOTUS, nec STRABO, nec PTOLEMAEUS ullius populi sive urbis in hoc climate mentionem facit. Neque melius orientale maris Caspii litus cognoverant; quod ex STRABONE et PLINIO 26) patet, cum uterque ERATOSTHENIS maris Caspii mensuram adferat. Innotuerat iis tantummodo pars littoris orientalis meridiei propior, minime autem arenosa ista, quae ad lacum Aral vergunt, deserta. Accedit quod isthmus iste PTOLEMAEI tempore multo angustior fuit, quippe jam dudum a geographis observatum est, si non lacum Aral, at Caspium certe mare sensim sensimque decrescere et plus arenosi soli neque vacuefieri. Praeterea isthmus iste repletus est paludibus salsis, quae PTOLEMAEI aetate tum numero plures, tum ambitu majores exstiterunt, aqua scilicet stagnante solis radiis nondum exhausta, ut spatium istud lacuum continua serie cohaerentium (nostris geographis Kettenseen) prae se tulerit speciem. Ac talem istius isthmi, imo totius

26) Lib. XI. 773. lib. VI. 13.

totius ad Jaxartem terrarum tractus naturam fuisse docet STRABO in loco maxime memorabili [27]: λέγεται δέ καὶ τοιαῦτα περὶ τῶν Μασσαγετῶν, ὅτι κατοικοῦσιν οἱ μὲν ὄρη· τινὲς δὲ αὐτῶν πεδία· οἱ δὲ ἕλη, ἃ ποιοῦσιν οἱ ποταμοί· οἱ δὲ τὰς ἐν τοῖς ἕλεσι νήσους. En tibi luculentissimam totius tractus terrae, quem Massagetae tenent, inde ab Imao monte usque ad paludosa loca Aral loca descriptionem, cujus forsitan in tota antiquitate haud luculentiora invenies vestigia. Quorsum enim pertinent ista ἕλη? quamquam vix ipsum Aral innuere possunt, qui lacus spatiosissimus, tamen ad circumjacentes innumeras istas paludes pertinent, insulas vero istas, quis non videt esse altiora loca, ex aqua prominentia quidem; circumflua tamen. Istorum lacuum minorum unus certe ille Oxianes lacus PTOLEMAEI et Oxia palus AMMIANI MARCELLINI fuerit. Quare si PTOLEMAEUS tenui, ut omnes veteres istarum regionum notitia

27) XI. p. 780.

notitia instructus, mare Caspium ad orientalem lacus Aral terminum, continuum esse putaverit, mirandum hoc non videtur. Eadem opinio causa erat, cur plures antiqui scriptores hoc mare ab oriente in occidentem porrectum esse arbitrarentur. Ac si quis mihi hoc objecerit, non solum PTOLEMAEUM, verum etiam ceteros ejusdem aetatis geographos, spatium illud intra Oxi et Jaxartis ostia cognitum habuisse, cui nomen Sogdiana, hodie Al Sogd, utrumque autem fluvium ex illorum testimonio in mare Caspium incidere, responderim et in hoc ista opinione eos deceptos esse. Quippe nemo veterum Sogdianorum occidentalem regionem lacui Aral finitimam probe noverit, nec ostia utriusque fluvii navigando vere tentaverit, nec quisquam ex istis fluminibus in mare Caspium delatus est, quod suo loco vel contra ipsum PLINII celeberrimum testimonium [28]) docere conabimur. Quod vero multi veteres mari Caspio multo minorem, nostrisque mensuris haud absonam

28) Lib. VI. c. 17.

nem, latitudinem adsignant: inde explicandum est, quod latitudinem meridionalem circa Hyrcaniae oram metiebantur, quae, puto, eadem usque mansit; boream vero propiora litora non cognoverant. Cui vero prorsus incredibile videtur, veteres geographos lacum istum ingentem Aral, si secretus a mare Caspio fuisset, cum hoc mari conjungere ac commutare potuisse, is cogitet, novissimis demum temporibus lacum Aral et circumjacentia loca in lucem pervenisse; latuisse vero omnes istos auctores, TAVERNIRIUM, OLEARIUM, et ceteros; ita ut lacum Aral partem maris Caspii esse, ipsi Russi crederent; quanquam ABULFEDAE et Arabibus 29) nota omnia illa fuerint. Quapropter PTOLEMAEUS, quod terminum maris tam longe versus orientem protulit, haud vituperandus, quum lacum istum, cujus pauci tantum notitiam habebant, simul complexus fuerit, utpote qui longitudinum

et

29) Cf. ABULFEDAE descriptio Chowarezmiae et Mawaralnahrae in HUDS. geogr.

et latitudinem omninoque lacuum situs, omnibus veteribus geographis peritior erat; at in eo quidem, quod facile ipsi condonaverimus, magnopere erravit, quod utrumque mare continuum fecit, et isthmum inter lacum Aral et Caspium mare situm ignoravit. Tali modo latitudo Ptolemaei, quam mari Caspio tribuit, a reprehensione quodam modo vindicari potest; longitudo autem, cum plurium recentiorum testimonio satis congruit.

Superest, ut recentiorum quorundam computationes paucis recenseamus, ac primum quidem Abulfedae, qui longitudinem ad ducenta septuaginta Parasangas aestimat. Atque haec quidem computatio ad liquidum non facile perduci potest, cum de ratione parasangarum scriptores non consentiant; sunt enim, qui Parasangae triginta stadia, sive tres quadrantes milliarii geographici tribuant; tunc ex ratione Ptolemaei plus quam ducenta milliaria geographica longitudinis efficerentur. At Alikohsgi decimi quinti saeculi Astronomus

uni

uni gradui viginti duas parasangas adscribit, quod centum octoginta quatuor milliaria daret; secundum mensuras D'ANVILLIANAS vero quas in orbis antiqui tabula geographica proposuit, longitudo ducentarum et septuaginta parasangarum cum ducentis quinquaginta leucis francicis convenit, quod centum quinquaginta milliaria nostra efficit. Latitudinem autem ABULFEDAE DELISLE in mappa geographica [30]), quae varias maris figuras sistit, justo majorem exhibet; vitio forsitan in computatione longitudinis graduum commisso; extendit enim mare Caspium usque ad ostia Oxi sive Gihon fluvii, qui tamen, ut ABULFEDA in descriptione Chowarezmiae et Mawaralnahrae expressis verbis dicit, in lacum Aral sese exonerat. Verba ABULFEDAE sunt [31]): "Chowarezmia sita est ad extremum fluvii Jihun; defluit autem in lacum Chowarezmiae. In australi ripa fluvii Jihun sive Gihon sita est [illegible] urbs

30) Mémoir. de l'Acad. des Scienc. an 1721. p. 254.

31) In HUDSONI geogr. min. tom. III.

urbs Coreang, uti Persae dicunt; Arabibus vero nominatur Aljorjaniyah, i. e Giorgian seu Jorjan"; itaque Delisle et in situ hujus urbis errorem commisit, qui eam collocat ad litus maris Caspii sub quadragesimo latitudinis gradu, cum tamen ex Abulfedae non solum, verum etiam secundum Nassiri Eddini Ettusaei et Ulug Beighi testimonium [32]) sub quadragesimi secundi gradus XVII min. jaceat, in climate sc. ostiorum Oxi fluvii. Est quidem et alia urbs Coreang minor dicta, cujus tamen situm ex Abulfeda secundum gradus constituerit nescio; dicit solum a majori distare X. milliaria et in occidentali Jihun fluvii ripa sitam esse; ut nec haec urbs ad litus maris Caspii collocari recte potuerit.

Jenkinsonius longitudinem maris ducenta, latitudinem centum quinquaginta milliaria nautica habere dicit. Olearius [33]) ab Astrachan ad Ferabad octo gradus esse exhibet; apparet itaque, cur longitudini centum

32) Huds. l. c.

33) Persian. u. Moscow. R. lib. IV. c. 16.

centum et viginti milliaria tantum adſcripſerit; omiſit enim eam maris partem, quae contra ſeptentrionem et orientem vergit; latitudini adſignat ſex gradus aequatoris. D'ANVILLIUS longitudini dedit ducentas quinquaginta; latitudini octoginta leucas francicas 34). FERRIERES SAUVEBOEUF 35) longitudinem trecentarum, latitudinem centum quinquaginta leucarum francicarum fecit. OLIVIER 36) longitudinem a Febrabad ad oſtium Jaïk fluvii ſive Ural inde a 36°, 15', usque ad 47°, 10', aequalem gradibus X. et 55 min., latitudinem quinque graduum fecit. GEORGIUS 37) longitudinem extendit a trigeſimo quinto usque ad quadrageſimum ſeptimum latitudinis gradum; latitudinem vero a ſexageſimo quinto usque

34) De qua tamen menſura cf. BREDOW Unterſuchungen über Gegenſt. d. Geſch. der Chronol. p. 456.

35) In itinerarii ſui cap. 23.

36) In voyage en Perſe.

37) In Beſchreib. d. Ruſſiſch. Reichs tom. I. p. 257.

que ad septuagesimum longitudinis gradum; ut longitudo maris habeat mille Russica milliaria (Werst), latitudo vero ducenta, vel quadringenta. Superest mensura tabulae geographicae, quam Carolus van Verden, Petri I. jussu, delineavit, omnium recentiorum quodammodo radix et fons. Longitudo ibi a trigesimo septimo latitudinis gradu usque ad quadragesimum octavum, ut per undecim gradus extendatur; Latitudo vero, ubi maxima est, in meridionali maris parte habet quatuor gradus; ubi vero angustissima, nempe ad urbem Bacu, triginta quinque tantum leucas francicas habet. Ambitus vero totus maris Caspii est octingentarum nonaginta leucarum.

Istae omnes hucusque recensitae maris Caspii mensurae quo melius inter se comparari possint, in uno eas conspectu collocabimus, atque eo quidem ordine, ut unice longitudinis discrimina respiciamus, nulla latitudinis ratione habita, quippe quae in litore sinuoso tantopere variat, ut mensurae

nullo-

nullomodo congruere possint. Redegimus autem mensuras ad modulum milliariorum geographicorum.

Nom. auctoris.	longit.	latit.	circun.
AGRIPPA	80	48	—
OLEARIUS	120	90	—
PTOLEMAEUS	132	250	—
STRABO	133	111	—
BORHEEK	140	24	—
D'ANVILLE	150	48	—
JENKINSON	150	112	—
HERODOTUS	165	88	—
OLIVIER	165	75	—
C. VAN VERDEN	165	$\frac{21}{60}$	534
GEORGI	180	75	—
AGATHEMERUS	182	56	490
ERATOSTHENES	—	—	280
SAUVEBOEUF	180	90	—
ABULFEDA	$\frac{184}{200}$	—	—

CA-

CAPUT VI.

DE NATURA MARIS CASPII.

Cum de omnibus fere, quae ad hoc mare pertinent, vel iis ipsis, quae facillime ad lucem perduci posse videntur, multum diuque disputatum et dubitatum sit: etiam de salsedine hujus maris non consentiunt scriptores; quippe magna pars haustum maris Caspii dulcem esse contendunt. Sic POLYCLETUS apud STRABONEM [1]) mare hoc paludem esse probaturus, inter alia argumenta haec quoque adfert: θάλασσαν ταύτην ὄφεις τε ἐκτρέφειν, καὶ ὑπογλυκὺ εἶναι τὸ ὕδωρ. DIODORUS SIC. [2]): Ἐν ταύτῃ δὲ φασι πολλοὺς καὶ μεγάλους μὲν ὄφεις γεννᾶσθαι ἰχθῦς μὲν παντοδαποὺς, πολὺ τῇ χροᾷ τῶν παρ' ἡμῖν διαλλάττοντας. PLUTARCHUS [3]) Alexandrum hoc mare

1) Lib. XI. p. 777.

2) Lib. XVII. p. 602. ed. STEPHAN.

3) In vit Alex.

mare γλυκύτερον τῆς ἄλλης θαλάττης invenisse scribit. Utrumque auctorem ad verbum fere expressit CURTIUS [4]). "Mare Caspium dulcius ceteris, ingentis magnitudinis serpentes alit" caussamque dulcedinis eam adfert, quod "aqua, quo dulcior sit, quam cetera maria, infuso paludis Maeoticae scilicet humore, mitescat". Cujus quidem argumenti ineptia per se patet, cum palus Maeotica ipsa sit salsissima. Cum hisce consentit PLINIUS [5]): "Haustum ipsius maris, Caspii sc., dulcem esse et Alexander magnus prodidit et M. Varro; talem perlatum Pompejo juxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo sale" quod tamen ipsius PLINII testimonio refutatur, qui [6]) amnes, inter quos Oxus et Ochus, salis ramenta

4) De reb. gest. Alex. lib. VI. c. 4. v. 18.
5) Hist. nat. lib. VI. c. 17. et CAESAR JULIUS SOLINUS in Polyhist. c. 28. cf. ad. h. l. SALMASII exercitt. Plin. p. 216.
6) Lib. XXXI. cap. VII.

ramenta in mare Caspium deferre scribit. Quod de omnibus fere in mare Caspium profluentibus fluviis statuendum est, inprimis autem de fluvio Rha, omnium longe maximo, nobis Volga dicto, et Jaik sive Ural aliisque, qui ab occidente in mare influunt, qui omnes per deserta sale imbuta cursum tenent atque ita, quamquam ipsi salem non hauriunt, deferunt eum tamen in mare [7]. Quare nec OVIDIO adstipulandum, cum dicit [8] "Copia tot laticum, quas auget, adulterat aquas, Nec patitur vires aequor habere suas". Omnium fere veterum scriptorum communis haec opinio erat, ut aquam maris Caspii dulcem esse arbitrarentur.

Cujus erroris hic certe fons est, quod veteres in navigando litora semper legebant, cumque vel ex recentiorum auctorum testimoniis haustum maris Caspii dulcem esse circa litora pateat, hoc ad totum maris tractum transtulerunt. [Declaratur hoc ex

ABUL-

7) Cf. PALLAS Reisen I. p. 383.
8) Pontic. lib. IV. eleg. 10.

Abulfeda, apud quem mercator, qui in hoc mari navigavit, ita narrat: "cum ad finem illius maris, sc. in septemtrionali parte, pervenimus, illam aquam salsam ac limpidam comperi; tunc dictum mihi fuit, illam esse aquam fluminis Volgae, maris aquis mixtam, cumque ex illa bibissem, eam dulcem esse deprehendi, et ita prope per mare dulce navigavimus]. Inter alios qui recentiori aevo de isto mari scripserunt: Antermony 9) et Avril 10) ad duas leucas gallicas mare dulce esse produnt. Idem fere asserit Olearius 11), qui circa litora ad Khilan quidem dulcem esse aquam narrat; in alto mari vero, ut ipse decimo Novembris, cum hiems in altum navem protrusisset, aqua diligenter gustata expertus est, salsedine nulli omnino mari cedit; neque de serpentibus, quos Cur-

9) Voyage tom. III. p. 12.

10) Voyage en diverf. états de l'Europe et de l'Asie p. 86.

11) Lib. IV. c. 16.

Curtius in hoc mari nasci perhibet propter dulcedinem aquarum, Oleario, quamvis probe apud incolas sciscitanti, quidquam compertum est [12]. Circa litora quidem mare Caspium dulci aqua affluere, frequentia cyprinorum et sturionum in ipso nascentium multitudo docet. Mitescunt quoque marina fluenta ingenti liquefactae nivis in illud destillantis copia. Quare et propter minimam circa litora salsedinem in septentrionali parte gelu constringitur interdum [13]. Sed confirmatur illud Olearii de salsedine maris Caspii testimonium Jenkinsonii imprimisque Kaempferi [14]) auctoritate, qui diversum ex influenti aqua et pro fundi conditione, et colorem et saporem esse nuntiat, fluminaque dulcedinem quidem per duo milliaria servare; in medio vero salsissimam et singulari modo amaram esse aquam, quam Kaempferus, quamquam in medio et ipse naufragii discrimine tenebatur,

12) Cf. et le Bruyn voyage.

13) Cf. Georgi Beschr. pl. p. 257.

14) Amoenitat exot. p. 258.

tur, gustavit. Cujus singularis amaritudinis causa est oleum terrestre seu Naphtha nigra, quae per radices montium in imum pelagus decurrens, intra salis poros absorbetur, et cum venti aequora cient, intolerabili fere gustanti amaritudine fluenta imbuit. Sunt vero qui credant; amnium influentium victo sale, magis magisque semper mitescere mare Caspium, ut et POLYBIUS de Maeotide asserit [15]; quod quidem secus esse diligentissima OLEARII, KAEMPFERI, LE BRUYN et aliorum testimonia supra jam allata probant; quippe in medio mari salsedinem majorem et acerbiorem esse contendunt, quam in ceteris maribus. Neque hoc a veritate absonum esse videtur, si cogitamus, mare Caspium calidissimo climate uti. Longe diversa sententia est clarissimus BUFFONIUS, qui salsedinem maris Caspii usque augeri putat [16]), quod

15) Lib. IV. p. 307. 10. ed. CASAUB.
16) Hist. nat. tom. II. p. 176. duodecimis cartis.

quod olim plane dulce fuerit. Cujus rei causam eam adfert, quod aqua quidem minime vero sal exhalari possit, quo relicto amaritudinem augeri necesse esse. Jam vero ex itinerariis summi PETRI SIMONIS PALLAS 17) constat, rorem salsum in regionibus circa mare Caspium praesertim prope Giurjef castellum ad flumen Jaik situm, nec non 18) ad lacum Elton crebro eumque tam densum cadere, ut vestimenta sale imbuta rigeant. Nec omnino peregrinantibus in istis regionibus quidquam nuntiatum est, quantum scimus, amaritudinem hujus maris augeri. At hoc quidem notatu dignum videtur, quod mare Caspium, aeque ac illud septentrionale, aestate noctu lucet 19). Cujus quidem fulgoris veram causam timeo, ne indagata hucusque non sit; quod certe ad mare Caspium attinet, nemo

nem.

17) Reise durch verschiedliche Provinzen des Russischen Reichs tom. I. p. 409 et 426.

18) Tom. III. p. 631.

19) PALLAS Reisen in verschiedliche Statth. tom. I. p. 434.

rem, accurate perquisivit. Secundum ea, quae expertus est KRUSENSTERNIUS in itinere circa orbem terrarum instituto [20], minutissima animalia cancrina hunc fulgorem emittunt; aqua enim colo tramissa, relictis in colo istis animalculis, phosphorica luce non amplius exsplenduit.

Jam vero ad celeberrimam istam quaestionem considerandam progrediamur, qui nempe fiat, ut mare Caspium tot ingentium fluminum aquas hauriens, nunquam tamen trans litora sua effundatur. Ultra triginta enim majores minoresve amnes in hoc mare illabuntur, et rivulorum e Caucaso in illud decurrentium innumera fere multitudo est, ut testatur OLEARIUS [22], qui inde ab urbe Raescht usque ad Schamachieh octoginta rivos transivit; nusquam tamen huic mari os est,

20) GEORGI Beschreib. des Russ. R. tom. I. p. 259.

21) Tom. I. c. 3.

22) Persian. u. Moscov. R. lib. IV. c. 16 et KAEMPFERI amoenitat. exot. p. 253.

est, quo tot aquis exoneretur. Quamquam enim saepissime fiat, ut adjacentes regiones inundentur, hoc minime propter aquarum abundantiam evenit, sed vento fortiter flante aguntur fluctus in depressa occidentalis orae littora. Neque, quod alii volunt, hoc fluxus et refluxus vicissitudo efficit, quippe qua mare Caspium ad optimorum auctorum fidem omnino caret [23]). Quapropter CURTIUS [24]) aut de fluxu et refluxu non cogitasse, aut omnino errasse putandus est in hisce: "A septentrione ingens in littus mare incumbit, longeque agit fluctus, et magna parte exaestuans stagnat. Idem alio coeli statu recipit se in fretum eodemque impetu, quo effusum est, relabens terram naturae suae reddit". Cum vero constat, nullum prorsus mare Caspium, quo sese exoneret, manifestum habere ostium, plurimi ad fauces subterraneas confugerunt, quibus hoc mare aquarum abundantiam emit-

23) Cf. GEORGI Beschreib. d. Russ. R. tom. I. p. 257. OLEAR. lib. IV. c. 16.

24) Lib. VI. c. 4. v. 19.

emitteret. Apud veteres nulla prorſus ſubterranearum voraginum mentio fit. Neutiquam enim ad mare Caſpium referendum videtur, quod ARISTOTELES [25]) dicit: ἀλλ' ἥγε ὑπὸ τὸν Καύκασον λίμνη, ἣν καλοῦσιν οἱ ἐκεῖ θάλασσαν, αὕτη γε ποταμῶν πολλῶν καὶ μεγάλων εἰσβαλλόντων, οὐκ ἔχουσα ἔκρουν φανερὸν, ἐκδίδωσιν ὑπὸ γῆν κατὰ Κοραξοὺς περὶ τὰ καλούμενα βαθέα τοῦ Πόντου· ταῦτα δὲ ἐστὶν ἄπειρόν τι τῆς θαλάττης βάθος, οὐδεὶς γοῦν πώποτε καθιεὶς ἠδυνήθη πέρας εὑρεῖν. Pertinet hoc procul dubio ad ignobiliorem quendam Caſpii jugi lacum, v. c. ad hodiernum lacum Kiagar kuni, inter Araxem et Cyrum, quod Coraxi videntur ſuadere; quamquam enim magni fluvii, quos recipiat iſte lacus, aperte Caſpium innuunt, tamen credi non poteſt, auctorem nomen maris Caſpii omiſſurum fuiſſe, ſi de eo cogitaſſet. Neque huc trahendus eſt EUSTATHII locus in ſcholiis ad DIONYSIUM PERIEGETEN [26]):

ὅτε

25) Meteorol. lib. I. c. 13. 26) Verſu 32.

ὅτε τάχα διὰ τόπων ἀδήλων ὁ κρόνιος Ὠκεανὸς ἑαυτὸν ἐκπέμπων ἀναδίδωσι τὸν Ὑρκάνιον κόλπον. Quippe his verbis Eustathius declarat, Herodoti et Periegetae ſententias conciliaturus, mare Caspium e mari ſeptentrionali in terram infundi, ſimulque tamen clauſum videri, quoniam Oceanus διὰ τόπων ἀδήλων meat; et ſecundum Eustathium augetur mare Caspium potius his faucibus, quam exoneratur. Neque omnino ſecundum quae ſupra [27]) adtulimus, veteres in abundantia aquarum maris Caſpii ullam difficultatem latere ſuſpicati ſunt. Contra vero multi recentiorum auctorum ſubterraneas mari Caſpio fauces eſſe contendunt, e quibus praecipue notandi: Athanasius Kircherus, qui immenſae doctrinae, nec ſpernendi acuminis vir in Mundo ſubterraneo [28]) mare Caspium Ponto Euxino ſimul, et ſinui Perſico conjunxit [29]); Joannes Struys; qui geminas

27) P. 76.
28) Tom. I. p. 163.
29) Cf. I. 85.

minas voragines sub trigesimo nono latitudinis gradu ponit; PATOR AVRILIUS, societatis Jesu [30]; SVARIUS de opere sex dierum [31]; CAESIUS de mineralibus [32], quorum testimonia adfert OLEARIUS [33]. Ipsique OLEARIO [34] a Persis nuntiatum est, fauces esse haud ita procul ab urbe Fehrabad, in quas maris aquae ingenti fragore demitterentur. Adstipulantur etiam ex recentioribus Comes de FERRIERES-SAUVEBOEUF, cujus quidem levitati non multum tribuendum, in itineris sui descriptione [35] communi sententiae, ex qua scilicet mare Caspium per subterraneos meatus Persico sinui committatur. In cujus rei fidem adferunt, quod aquae in voraginem istam ad Fehrabad et Mazandaran ingenti vertice delapsae, in viciniis insulae Ormus, in sinu Persico sitae, summo cum strepitu e fundo

30) Lib. II.

31) Lib. II. c. 6.

32) Lib. I. c. 6 p. 57.

33) Lib. IV. c. 16.

34) C. I.

35) Cap. XXIII.

fundo maris evomantur; quodque rem magis adhuc firmet, ingens quotannis salviae foliorum copia, et quidem auctumno in iisdem regionibus mari innatet, quae haud aliunde nisi ex gurgite isto omitti queant, quum Persis arbores hujus generis proferat nullas, contra vero litus maris Caspii fluminumque irruentium ripae, arboribus istis sint consitae, cui accedat hoc, quod multi in Perside fluvii v. g. Polytimetus [36]) et Zinoberis [37]) qui DIODORO [38]) Stiboetes, Oxus ipse [39]) et alii a terra absorbeantur, ac per viginti milliariorum saepe spatium cursum subterraneum emetiantur. Speciosa haec quidem argumenta esse videntur, efficerentque certe aliquid, nisi summorum virorum auctoritas ipsaque ratio contra ea pugnarent. Nemo enim istos gurgites vidit, ne dicam diligentius investigavit. OLEARIUS, PETRUS DELLA VALLE, GEMELLIUS

CAR-

36) Cf. CURT. lib. VII. c. 10.

37) CURT. lib. VI. c. 4. 4.

38) 17. 75.

39) EDRISI Geogr. Nub. 8. III. p. 8. 138.

Carrerus, inprimis Kaempferus 40) fauces istas subterraneas mera figmenta esse contendunt. Qui Kaempferus, diligentissimus veri scrutator, legatis Sueciae additus, vario Aeolo per duodecim dies in mari Caspio navigavit, neque quidquam omisit ad fauces istas cognoscendas et Tataros, Russos, Persas adcolas hujus maris, nautasque, qui inde a pueris in hoc mari navigarunt, vel jurisjurandi religione obstrinxit, ut veritatem profiterentur, qui vero, ut ipse ait homo sollicitus, per deos et sacra omnia jurati, ullos sibi voragines innotuisse prorsus negarunt, iidemque se vortices istos, de quibus multi somniarunt, nunquam conspexisse pro testimonio affirmarunt. Jam vero per se patet, ingentes vortices in superficie istarum voraginum, salum tanto strepitu absorbentium, necessario existere debere, nec ullo modo fieri posse, ut ii nautas lateant. Quod vero gurgites in sinu Persico adtinet e quibus

maris

40) Amoenit. exit. p. 253.

matis Caspii fluenta emittantur, et folia salviae mari innatantia: idem KAEMPFERUS, quamvis per biennium in iis regionibus commoratus, neque vortices vidit, nec folia salviae conspexit, vel ceti mari immisso quaedam deprehendere potuit. Innatant quidem folia, non vero salviae, sed alius cujusdam herbae admodum communis et frequentis in Perside. At quaeso, quo unquam modo tenuia folia per tantum spatium subterranei meatus transmitti possent, nec tamen perpetuis aquis digesta, ac macerata imum petere ac subsidere? In eandem sententiam optimus et fide dignissimus quisque auctor de subterraneo nexu, hujus maris loquitur. Accedit ad hoc, quod fundus maris Caspii, quatenus hucusque bolide navigantium tentatus est, non saxosus, neque cavitatibus interceptus, sed coenoso limo obductus est, in quo tanti gurgites esse vix possent. Quodsi vero alicubi tales essent voragines, ad eas certe citatiore cursu aquae ferrentur. Scribunt plerique, uti STRUYSIUS et AVRILIUS, geminos esse gur-

gites

gitur in mari Caspio. At, quaeso, num duo gurgites tam immensae aquarum copiae hauriendae sufficere ullo modo possunt? Subeunt mare Caspium tot tantique amnes, Cyrus Albim aequat [41]), Araxes totius Armeniae humores mari Caspio infert; omnes bis terve Rha fluvius magnitudine antecellit, immanem praeterea vim aquarum afferunt minores isti et innumeri fere rapidissimi ac turgidi in hoc mare decurrentes rivi: quale barathrum hoc esse deberet, quod hanc immensam aquae vim capere posset? Infestum sane ac perniciosum cuicumque nautae in illud delato, et nemini non notum. Sed superficies maris nisi a ventis lacessita, tranquilla est. Si quis vero poneret, in fundo maris Caspii innumeras minores salum absorbentes existere posse cavitates, hoc bolide nautica jam dudum certo exploratum esset, sed hucusque vel in profundissimis maris Caspii partibus, fundum non ultra septuaginta modulos nauticos, quorum unus

41) KAEMPFERI l. c.

unus tres ulnas capit (nôstratibus Faden) depressum esse inventum est [42].

Sed jam videamus, num positis his voraginibus declarari possit, quo evanescat ingens aquarum copia. Per se patet, mare Caspium, si subterraneo meatu in aliud mare aquas suas immitteret, altius quam illud esse debere, in quo exoneraretur: at testimonio omnium constat, vix ullum mare Caspio esse depressius. Undique cingitur regionibus multo editioribus, contra quam mare mediterraneum, quod tanquam mons ubique litoribus imminet. Litora maris Caspii planissima et vadosa ubique fere sunt, quare ne parvulis quidem navigiis aditus patet; unde portus fere nullus. Flumina quoque ex longissimis locis in hoc mare decurrentia, uti Rha fluvius, nec non addere liceat Jaxartem et Oxum, quippe Lacus Aral pars certe aliquando maris Caspii fuerit, et aequali cum mari Caspio altitudine utitur, testantur situm hujus maris

42) Georgi Beschr. d. Russ. R. tom. I. p. 259.

ris esse humillimum. Scimus quoque Rha fluvium in isto loco ad Tevia, ubi proxime ad Tanaim accedit, septuaginta pedibus Tanai esse inferiorem; subit vero mare Caspium tam leni flumine, ut stagnare eum crederes [43]). Haec omnia maris Caspii alveum admodum humilem esse testantur; unde absurde erravit ATHANASIUS KIRCHERUS in mundo subterraneo, quod [44]) mare Caspium in pontum Euxinum per subterraneas fauces exonerari credidit. Sinus Persicus vero, mari Caspio multo angustior, ipse Euphratis et Tigridis omniumque ex Persarum terra decurrentium rivorum aquas haurit. Quapropter tantum abest, ut alieni maris fluenta recipiat, ut potius sua propria vix capere possit multoque altior sit mari Caspio. Praeterea nullum omnino in toto orbe terrarum, quantum hucusque peregrinantibus innotuit, talis subterranei canalis exemplum nobis compertum

est;

43) OLEARIUS IV. 12.

44) Tom. I. p. 153.

K

est; nec omnino verosimile videtur, qui ingentem subterraneum meatum per tam immensum terrarum spatium aquarum per eum manantium vim sustinere, nec corruere aut limo oppleri, vel alio quodam casu obstrui; utque rem paucis absolvamus, talem abyssum in mari Caspio non exstare experientia docet, imo ne posse exstare quidem ratio ipsa postulat, omniaque, quae de hisce barathris traduntur, mera sunt figmenta.

Restat vero nunc, ut dispiciamus, an omnino necesse sit, talem gurgitem aquae deducendae caussa statuere. Miror equidem, qui factum sit, ut soli mari Caspio subterraneos canales adscripserint, nec tamen aliis maribus v. c. lacui Asphaltitae (quod ATHANASIUS KIRCHER 45) fecit), qui undique clausus, Jordanem recipit; multisque parvis Helvetiae lacubus, quorum magnitudini tamen, cum fluviorum, quos recipiunt, magnitudine eadem ratio intercedit ac mari Caspio; praecipue vero, cur Ponto Euxino

(hoc

45) Tom. I. p. 86.

hoc tamen Aristoteles fecisse videtur, scribit enim 46) διὸ καὶ περίεργον ἑλλήσποντον — δοκεῖ γε διαυλωνίζειν ὑπὸ τὴν γῆν ἡ θάλαττα) et mari Mediterraneo subterraneos abyssos non tribuens; quippe quod, licet nimirum Caspio magnitudine antecellat, tamen totius fere Europae haurit humores, imo et Nili influentias. Influunt praeterea undae e Ponto Euxino per Propontidem et e magno Oceano per fretum Gaditanum, nihilominus tamen alveo suo nusquam excedit. Denique ab omni latere tam immenso terrarum tractu, praeter Isthmum Suez, cinctum, ut subterraneam viam aquae vix permeare possint. Angustissimus vero sinus Arabicus statim aquarum vi oppleretur, si cum mari mediterraneo cohaereret nec isto inferior esset. Accedit ad haec, quod exhalationes aquarum maris mediterranei vix tam spissae sunt, quam maris Caspii, quippe quod sub calidiore natura plaga situm est. Scio equi-

46) Meteorol. lib. II. c. 8.

equidem ATHANASIUM KIRCHERUM, ubi cunque poterat, subterraneos cuniculos captantem, mare mediterraneum 47) in rubrum mare deduxisse, ejusque rei firmandae caussa attulisse fabulam de Delphino prius in mari Rubro deinde in mari Mediterraneo capto, quippe insignitum fuisse lamina ex aurichalco; sed in hisce summus doctrinae vir meris conjecturis indulsit, nec ulla ejus ratio habenda 48). Nec omnino operae pretium facturi erant ii, qui tanta doctrinae copia et acumine gurgites et canales maris Caspii subterraneos defendebant; nam doctissimorum virorum HALLEY et PERRY comparationibus luculentissime demonstratum est, solam aquarum exhalationem ad declarandam rem istam sufficere, quae tot ingenia virorum doctissimorum egregie exercuit. Quamquam equidem haud negaverim, talem computationem admodum fluxam et incertam esse, cum maris ventis excitati exhalationes multo crebrio-

47) Mundus subterr. I. p. 86.
48) Cf. porro idem tom. I. p. 112. 161.

crebriores sint, quam quieti atque tranquilli aequoris; eodemque modo dulces aquae amnis longe facilius in aerem diffluant. Cui insuper accedit, quod propter variam fluviorum celeritatem fieri vix potest, ut quis aquae dulcis multitudinem, quam mare Caspium per ostia illabentium amnium accipit, computando recte eruat, scimus enim aucta aquarum vi, celeritatem cursus augeri; impletur quoque sensim sensimque alveus amnium limo, qui fit, ut minor aquarum copia simplice vice immittatur. Nihilominus tamen, facta cum Oceano comparatione, patet subterraneo meatu nil opus esse. Praeterquam enim quod propter calidiorem aeris temperiem, exhalatio aquarum multo crebrior sit necesse est quam in ceteris maribus, v. c. septentrionali atque Atlantico vel ipso mediterraneo: hoc certe iis praetermissum est, qui non nisi positis subterraneis meatibus, maris Caspii naturam bene perspicere se credebant, quod uti Oceanus plurimorum fluviorum fons est, ita et e mari Caspio multi Asiae

 amnes

dinnes originem trahunt. Sales enim aquae marinae destillando per terram absorbentur, fontesque dulces inde scaturiunt. Crediderim enim mare Caspium primum adjacentes terras Hyrcaniam praesertim et Mediam, fertilissimas provincias ex veterum recentiorumque testimoniis [49]) humoribus suis irrigare, rivosque ibi fluentes emittere, deinde vero et majoribus atque longinquioribus Asiae fluminibus aquam suppeditare, atque iis quidem, qui terram hodie Panjab dictam Indiae conterminam permeant: Acesinae, hodie Jenaub; Hydaspae seu Behut, Hydrastae sive Rauweh, Hyphasi vel Setledge, ipsique Indo. Sed ne tam longinqua petamus; Interjacet mari Caspio et Ponto Euxino Armenia, celeberrimorum fluviorum Tigridis et Euphratis innumerorumque rivulorum mater. Undenam hi aquam haurirent, nisi e Ponto Euxino, marique Caspio [50])?

Cui

49) STRABO XI. p. 776. PETRUS DELLA VALLE pars II. epist. 4., quos supra jam pag. 3. laudavimus.

50) Cf. KAEMPFERUS amoenit. exot. p. 256.

Cui si quis opponeret, sales maris Caspii percolatione aquarum tunc imminui: respondebo salsitudinem aut per amnes influentes restitui [51], qui, uti supra jam vidimus, deferunt salis ramenta [52], aut ex immenso quodam, in imo maris fundo latente, salis penore usque refici ac suppleri, haud secus ac in Oceano totum orbem terrarum ambiente fit. Timeo enim ne vera caussa salsitudinis aquae marinae physicos ad hunc usque diem lateat. Porro autem si revera mare Caspium per subterraneum meatum sinui Persico esset conjunctum, cum Ponto enim nullo modo cohaerere posse supra demonstratum est, sequeretur, cum aqua maris Caspii sensim sensimque decrescat, eodem modo etiam aquam sinus Persici imminui. Jam vero mare Caspium aliquando multo latius diffusum fuisse, certis argumentis infra adferendis evinci potest; imo hodieque magis magisque semper

51) Cf. BUFFON c. I.

52) PLIN. hist. nat. XXXI. c. 7.

per minui recentiorum auctorum, PALLAS, OLIVIER, BELL diligentia compertum est. Sinus Persicus vero ex hominum memoria eundem semper ambitum eandemque altitudinem, servavit, nec ullo modo idcirco cum mari Caspio cohaerere putandus. Accedit quod aequoris superficies in mari Caspio non eadem usque manet, sed [52]) vere et auctumno immutatur. Vere enim liquefactis nivibus mare augetur, aestate vero et auctumno solis radiis hauritur atque extenuatur, quod nullo modo fieri posset, si subterraneus canalis adesset, qui statim abundantes aquas in sinum Persicum deduceret, aut idem sinus Persicus pateretur necesse esset, cujus tamen rei nullam apud auctores vestigium invenimus. Quae cum ita sint, repugnantibus fere omnibus clarissimorum auctorum testimoniis ipsaque ratione repugnante, imo vero, cum nulla omnino necessitas ad subterraneos gurgites confugiendi adsit: missos faciamus hos meatus, inque hanc sententiam discedamus, ut sola

aque-

52) Cf. GEORGI Beschreib. tom. I. p. 257.

aquarum exhalatio multique amnes, qui ex illo mari originem trahant, ad explicandam eam difficultatem, de qua hucusque disputavimus, sufficiant.

De cetera vero hujus maris natura, cum in primo capite latius jam exposuerimus, pauca tantum hic adjicienda supersunt. Quod altitudinem maris adtinet, ea magnopere variat: circa litora enim adeo vadosum est, ut ad viginti milliaria [53]) ne retibus quidem jaciendis mare sufficiat. Contra vero sinus maris Caspii ad urbem Asterabad, continuo aquarum vortice tam profundus factus est, ut bolide nautica fundus attingi non possit; quanquam cum Russi saeculo decimo sexto prima vice in hoc mari navigarent, in eo ipso loco mare haud ultra quinque pedes altum erat [54]). Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas!

53) Cf. Petrus della Valle III. p. 235.

54) Cf. Hanway itinerar. per Russiam et Persiam tom. I. c. 29.

ſtas! Olearius [55]) cum ſex ſeptemve milliaria ab Daghestan abeſſet, ad triginta modulos nauticos (Faden) fundum altum non invenit, inque medio ultra ſeptuaginta modulos altum eſſe mare perhibet. Aqua ipſa vero minime nigrum colorem habet, quod alii prodiderunt, ſed ſolitum marinum; qui quidem, cum mare ventis ſollicitatur, nigreſcit, quod in vulgus notum eſt ubique in oceano fieri. Dionysius Periegeta [56]) de mari Caſpio dicit: Ἡ δὴ πολλὰ μὲν ἄλλα μετ᾽ ἀνδράσι θαύματ᾽ ἀέξει· Φύει δὲ Κρύσταλλον ἰδ᾽ ἠερόεσσαν ἴασπιν. Eustathius ad hunc locum ἠερόεσσαν interpretatur ἀερώδη, σκοτεινήν.

De ſerpentibus vero, quos Strabo [57]) et Curtius [58]) in mari Caſpio ali ſcribunt, nihilo magis apud auctores conſtat, quam de belluis, quibus Pomponius Mela [59]) hoc mare infeſtari perhibet, niſi hoc ad piscem quen-

55) C. I.
56) V. 718.
57) XI. p. 772.
58) Lib. VI. c. 4. v. 18.
59) De ſitu orbis lib. III. c. 5. v. 8.

quendam, cui nomen est Naeka, referimus, qui uti OLEARIUS 60) et comes de FERRIÈRES-SAUVEBOEF 61) docet, quatuor ulnarum longitudinem, tantamque corporis vires habet, ut capite in aequor immisso arrecta cauda, lembos piscatorum evertere valeat. Alium notatu dignum piscem hujus maris memorat TAVERNIRIUS 62). Scilicet mense Octobri seu Novembri in litore inde a flumine Volga usque ad Koisui fluvium ingentem piscium multitudinem e mari provenire, qui quatuor pedes longi sint, in thoraci vero binos habeant pedes caninos, in posteriori autem corporis parte quatuor ungulis instructi sint; hos pisces cum in continente incedere nequeant, ab accolis fustibus interfici, indeque cum adipe abundent, multam pecuniam incolis redire scribit auctor. Quis non videt TAVERNIRIUM phocas innuere, quarum ingens copia in hoc mari capitur 63). Istum vero

OLEA-

60) Lib. IV. c. 16.
61) P. I. p. 233.
62) Persian. R. lib. IIII. cap. II.
63) GEORGI Beschr. I. 259.

OLEARII piscem Naeka, quo referam, nescio, nisi cogitandi sunt sturiones, sive husones in hoc mari frequentissimi [64]), quippe majores et fortiores hisce non inveniuntur. Omnino autem optimi auctores, inprimis vir summus PETRUS SIMON PALLAS [65]), OLEARIUS [66]), CHARDINUS [67]), FERRIERES-SAUVEBOEUF [68]), GEORGIUS [69]) in hoc consentiunt, innumeram fere maris Caspii esse piscium multitudinem immensamque eorum capturam. Unus PETRUS DELLA VALLE [70]) contrarium asserere videtur, quippe qui, praeter salmones et sturiones viles, quidquam capi negat. Sed hic quidem summi auctoris fidei haud adstipulandum videtur, cum, uti ipse confitetur, maris Caspii minutissimam partem et

eam

64) SAUVEBOEUF c. 23. p. 233.

65) Reisen in d. südl. Statth. d. R. R. tom. I. p. 183.

66) C. I.

67) Itinerar. in Pers.

68) Cap. 23.

69) Beschreib. d. R. R. I. 259.

70) Lib. II. c. 4.

[illegible] quidem levissimae et oblectamenti magis, quam veritatis perquirendae caussa pernavigaverit. Ceteri omnes uno ore affirmant, in toto maris Caspii litore, praecipue vero circa ostia Volgae, tantam piscium edulium vim esse, ut tota Russia Europaea per jejunia solemnia iis vescatur, indeque vicies centena millia [illegible] Russorum (Rubel) redire. Nec non in Persiae circa urbem Sallian ad ostium Araxis (Aras) sitam, infinita piscium multitudo capitur, quindecim millia scilicet quovis die sturionum, husonum, salmonum, et circa ostia fluviorum mare subeuntium capiuntur etiam cyprini, qui omnes per totam Armeniam easque regiones divenduntur, ubi Christiani habitant, iique per jejunia solemnia his piscibus aluntur. Quapropter tota mercatura, quam Russi, Persae, Tatari in mari Caspio faciunt, in piscibus divendendis versatur, nisi quis Naphtham prope urbem Bacu scaturientem exceperit; hujus enim non minus magnam vim vendunt. Cetera quidem mercatura et navigatio, cui augendae

augendae. Petrus I. autem non navem operam, neglecta jacet, uti jam in primo capite observatum est.

Hactenus de natura maris Caspii.

CAPUT VII.

DE MUTATIONIBUS MARIS CASPII.

Sequentibus hisce tribus capitibus de antiquitate maris Caspii agere in animo est; quam quidem disputationem trifariam dividi necesse est, ut demonstretur primum mare Caspium revera mutationes passum fuisse; deinde qualis fuerit maris Caspii ambitus atque figura, antequam status ejus prorsus immutaretur; denique: quales harum mutationum fuerint caussae.

Verum ex ea ipsa, quam in fine superioris capitis variarum maris Caspii longitudinum et latitudinum subjecimus, tabula suspicari licet, mare Caspium idem usque

non

non mansisse; maxime tamen, quod nec tirones latet, detorta nunc Jaxartis vel Sir-darja et Oxi vel Gihun fluviorum ostia eam rem testantur. Sed ad tempora tam remota redire nil opus; vel nostra aetate illud mare immutari, continuum aquarum in aliis locis decrementum, in aliis incrementum docet. Cujus rei documentum petamus ex eo, quod PALLAS, in hodoeporico suo [1]) auditum a vicinis castelli Gurjef, ad ostia fluminis Jaik sive Ural siti, tradit: Rescivit ille vir summus a sene quodam, jam inde ab anno millesimo septingentesimo trigesimo mare Caspium in istis locis magis magisque incremento aquarum augeri; insulamque, cui nomen Kamennoi sex milliaria Russica ab ostio fluvii Jaik sitam, quadruplo majorem aliquando fuisse, nunc vero eandem adeo esse humilem, ut aequor maris Caspii duas tantum ulnas exsuperet. Idem vero omnis fere regio circa Gurjef castellum passa est, quippe quae olim

1) Reisen in verschiedliche Provinzen d. r. R. tom. I. p. 434.

olim sicca, nunc aquis marinis inund
est; plures vero insulas mare absorbuit. I
pae fluvii Jaik, cum antea binis modul
marinis (Faden) ex aqua prominere
nunc eas mare aequat, quod olim pedib
impune permeari poterat, multique sin
terraeque recessus tempore procedente
istis locis orti sunt z). Jam supra
mentionem fecimus situs ad urbem Ast
bach, qui cum olim ante hos trecentos
nos vadosus admodum esset, nunc profu
dissimus est. Contra aquae maris Cas
decrescunt circa ostia fluminis Volgae,
in orientali parte maris Caspii recedentium
aquarum inveniuntur vestigia. Fit autem
hoc illabentium fluminum vi, qui sensim
sensimque ingentem limi multitudinem in-
ferunt, ut mare indies magis fiat vadosum;
quapropter et Venetiae, nisi canales conti-
nuo purgarentur, jam dudum in continenti
constitutae forent; nec fretum istud, cui no-
men Texel inditum est, tam magnae naves,
quam priscis temporibus, permeare possunt,
quippe

z) Cf. Orenburgische Geographie I. p. 207.

quia fundus maris altior fit, et litora pro-moventur. Idem Caspio quoque mari accidit.

Sed quaecunque eae sint mutationes, quas recentiori aevo passum est, vix tamen cum iis possunt conferri, quibus olim ob-noxium fuit; cujus rei manifesta vesti-gia, ostendunt nobis litora maris, quae eam ob causam diligentissime nunc sunt describenda. Faciamus vero initium a litoribus Volgae fluvio adjacentibus; ac pri-mum quidem eum terrarum tractum com-prehendimus, quem a septentrione Jaïk seu Ural; Rha fluvius et Tanais; versus orien-tem hodiernum maris Caspii littus; meri-diem versus fluvii Tereck et Cuban Cau-casique montes; versus occidentem palus Maeotis cingunt. Immensus hic terrarum tractus vastissima est planities salibus mari-nis ubique imbuta ac lacubus salsis stagnan-tibus repleta, quorum celeberrimi sunt Ko-bylskii lacus, inter Shuruk et Shedeli [3].

Jam

3) PALLAS Reise d. d. südlichen Statth. d. R. R. tom. I. p. 269.

jam vero lacus istos ex recedentibus maris Caspii aquis residuos esse facile crederes, nisi tam exiguas maris particulas ad hodiernum usque diem stagnare, neque tamen exhalationibus jam dudum exhaustas et solis radiis absumtas esse, prorsus incredibile videretur. Quapropter eam potius sententiam amplectemur, ut hos lacus salsos fontibus salsis ali putemus. Quae quidem opinio confirmatur eo, quod Pallas 4) de his lacubus narrat: varia scilicet salis in istis lacubus esse pondera, haud secus ac in fontibus salium qui in puteis fodiendis scaturiunt. In istis enim regionibus, uti vel ex Petri della Valle hodoeporico 5) discere licet, rari tantum dulcis aquae fontes inveniuntur. Accedit, quod acor salis in singulis lacubus nullo modo mitescit, sed idem usque manet, quamquam sol aquas lacuum exhaurit. Videtur igitur sal fontibus continuo fluentibus semper suffici. Haec Pallas narrat. At nescio

4) R. d. d. südlichen Statth. I. p. 107.
5) Tom. II. epist. 4.

nescio an non exhalatione lacus istos salsiores fieri oporteat, quippe sales multo minus quam dulces aquae in aërem attolluntur. Bene equidem memini roris, istius salsi, cujus mentionem jam supra ipsi fecimus; at testatur illud notissimus fabitum in lacunis exhalationis ope faciendorum modus. Tenendum vero quod, cum lacus isti semper in locis depressis et cavatis stagnent, nec usquam alibi fontes salsi prorumpant, manifeste rivulis, qui lacum formant, originem dantes, de lacubus enim ex fluviis Manytsch et Kuma ortis infra dicemus, verisimillimum esse videtur, istos lacus ex recedente mari Caspio reliquos factos quidem, fontibus tamen salsis huc usque ali; alioquin eos jam dudum evanuisse oporteret. Mare autem Caspium quondam in hisce regionibus diffusum fuisse, meridiana luce clarius luculentoribus etiam argumentis infra docebimus. Testatur hoc etiam infinita salis multitudo, qua solum ibi imbutum est; nec ullo modo salsi fontes terram tanto sale implevisse credendi

 sunt.

sunt. Confirmamus nostram sententiam exemplo deserti istius Africani Sahara, cujus vastissima, arenosa, et salibus plena solitudo, ex omnium doctorum virorum opinione fundus maris aliquando fuit. Qui vero terrarum tractus, quamvis haud prius quam istae regiones mari Caspio adjacentes ab undis marinis vacuefactus fuerit, quissum tamen lacuum vestigium habet; cum fontes, qui eos alant, non adsint, neque tamen verisimile videtur, prorsus nullos exstitisse. Nec dubitandum istos lacus in desertis Caspianis magis magisque decrescere atque exhauriri. Multo plures stagnabant eo tempore, cum ASCELINUS, JOANNES DE PLANO-CARPINUS, GUILIELMUS DE RUBRUQUIS itinera sua facerent, quorum mappas geographicas videre est in collectione itinerum, quam PETRUS BERGERON instituit. Videbis maxime illum isthmum inter lacum Aral et nostrum mare isto tum temporis repletum fuisse parvis lacubus, qui postea magna ex parte evanuerunt. Quapropter extra dubium positum

esse

esse videtur, lacus istos omnino testes esse, mare in istis regionibus fuisse; quamquam ii, quibus fontes non contingebant, exsiccarentur necesse erat.

Sed jam pergamus in describendo tractu isto littorum Caspianorum. In vasta hacce, salibus ubique imbuta planitie, arbores fere nullae proveniunt [6]; contra vero innumerae herbae ac plantae maris salisque amantes progerminant [7], et in iis quidem praecipue lacunis, quae, ceteris depressiores, plus coeni ac salis marini retinuerunt, cum pluviis vel liquefactae nivis aquis ablui non possent. In iis enim locis paullo acclivioribus, quae aquas demittere poterant, longa temporum serie sales prorsus sunt abstersi, ut etiam plantae, quibus dulce solum opus est, provenire possint, quod secus fit in ceteris. Porro invenitur in cavatis istis lacunis

6) Georgi Beschreib. tom. I. p. 112.

7) Pallas Reisen d. d. südl. Statth. d. r. R. tom. I. p. 280. et Olivier voyage en Perse I. c. 8.

cunis limus seu coenum marinum ac nigrum quidem, semper sale paene obductum [8]). Vocantur autem istae lacunae Chaaki. Quo autem modo coenum marinum in illos lacus e mari translatum est? quippe quorum multi tam longe a litore maris Caspii distant, ut inundatione maris hoc nunquam fieri potuerit, quod adspectus mappae geographicae docet. Apparet igitur, novum hoc esse argumentum pristinarum maris Caspii mutationum.

Idem vero ipsa litoris ora testatur. Vix enim ullum mare tot insulas parvulas litori adhaerentes, tot sinus, tot paludes in ipsa ora jacentes, ipsaque litora tam depressa et undis marinis tam trita ac cavata habet, quam mare Caspium in istis regionibus, de quibus nunc disputamus, inprimis circa Uleganternik, Alabuga et Bjeloseto, quae loca verno tempore liquefactae nivis aqua plane inundantur, nec non undis maris Caspii, levissimo vento flante. Neque fluvius, cui nomen Kuma, propter

8) PALLAS. c. 6.

propter humilitatem regionis et accumulatas arenas in mare Caspium se effundere potest; quamquam fluctus maris, cum tempestate cientur, in coecum fluvii Kuma ostium irruunt; postea vero, cessante vento, inde defluunt [9]), ut huic amni verum ostium et effluvium esse videatur. Totus vero his terrarum tractus [10]) ad Maeotim usque humillimus est, ac divortium aquarum amnium Manytsch et Kuma fere nullum, ut alter in alterum influeret, nisi tumuli arenarum recens conflati interjacerent. A fontibus enim fluvii Manytsch usque ad amnem Kuma unius diei tantum iter est, quod in tali planitie nullius momenti est [11]). Dubitaverim vero, an uterque fluvius usque fejunctus fuerit, imo potius verisimile videtur, utrumque fluvium ex iisdem lacubus ibi stagnantibus ortum in diversa abiisse,

9) Pallas R. d. d. südl. Statth. I. p. 271.
10) Georgi Beschreib. tom. I. p. 112.
11) Pallas Reise durch verschiedliche Provinzen des Russischen Reichs III. 587.

iisse, istum, Manytscht scilicet, in Maeotida, hunc vero, Kuma, in mare Caspium. Quocunque autem modo haec se habeant, hoc certe constat, litora ista maris Caspii, cum primo ipsius maris tractu eandem fere altitudinem,[12]) habere; quod vel ex eo intelligi potest, quod ne retibus quidem jaciendis, secundum accolarum apud PETRUM DELLA VALLE testimonium, altitudo maris sufficit.

Accedunt manifestissima ac certissima veterum maris Caspii mutationum indicia atque argumenta, conchylia nempe in desertis circa fluvium Volga et Jaïk longe lateque dispersa eaque eadem, quae in mari Caspio pontoque Euxino[13]), neutiquam tamen in fluviis rivulisque istarum regionum inveniuntur[14]); solum porro vastissi-

12) Cf. GEORGI Beschr. d. Russisch. Reichs. tom. I. p. 259.

13) Cf. PALLAS Reisen durch verschiedliche Prov. d. R. R. tom. III. p. 568-576.

14) Cf. OLIVIER voyage en Perse tom. I. c. 8. et GULDENSTAEDTII itinerar. GEORGI. I. p. 113.

mae illius planitiei cespite haud obductum, inde a mari Caspio usque ad fluvium Manytsch et usque ipsum rivulum Sarpa, qui in Rha fluvium effunditur. Tota enim superficies salis quasi pelle induta. Praeterea mare Caspium eadem piscium genera alit, quae Pontus Euxinus et Maeotis palus [15]; cum vero proximo capite satis luculenter uti spero, demonstratum sit, subterraneum nexum mari Caspio, ut cetera taceam, cum Ponto Euxino certe nullum esse, qui fieri potuit, ut utrique mari communicarentur ista piscium genera nisi aliquando Pontus cum mari Caspio conjunctus fuisset? Postea recedentibus aquis vacuefactus est iste vastissimus inter utrumque mare Isthmus, quamquam, sensim sensimque exsiccatus, diu paludosus et uliginosus fuisse videtur. Neque vero hujus rei testimonia apud auctores desunt. Inprimis laudandus iste Stritteri locus, quem supra jam attulimus,

15) Cf. Rommel über die Völker des Caucasus et Pallas Reise d. d. Statth. p. 482.

mus [16]), ex quo patet, hunc tractum terrarum diutissime humidum, h. e. a mari quondam tectum fuisse. Per PRISCUM enim qui legatis Theodosii II. anno quadringentesimo quadragesimo nono ad Attilam missis intererat, compertum est, Scythas Hunnosque e regionibus circa Tanaim Persidem invasuros, primum per desertum, trajecta deinde palude quadam, quindecim dierum iter per montes fecisse; eoque terrarum spatio peragrato in Mediam pervenisse. Diligentissime hic describitur via inde a Tanai per planitiem istam et Caucasum in Mediam. Palus vero ista pertinet ad vastam illam regionem, quam Manytsch fluvius permeat; unde patet, mare Caspium aliquando hisce in locis fluenta sua egisse. CLITARCHUS apud STRABONEM [17]) isthmum inter mare Caspium et pontum

16) Cf Memoriae populorum olim ad Danubium etc. incolentium e Scriptorib. hist. Byzantin. erutae a J. G. STRITTERO tom. I. p. 513.

17) Lib XI. p. 752.

pontum Euxinum adeo arctum esse perhibet, ut eum ἐπίκλυστον ἐξ ἑκατέρου τοῦ πελάγους faciat; qui hoc scribere potuisset, nisi jam veteres terrae istius naturam non ignorassent?

Non omittendum tamen est, quod mihi aliquis objecerit, argumentum a conchis et salsedine petitum refutaturus: Constat enim tum veterum [18]), tum recentiorum [19]) testimoniis, mare Caspium, si a ventis excitatur, exaestuare et humilia sua litora longe lateque inundare, praesertim circa Ulaganternik et Alabuga. Inferuntur tunc fluctibus marinis innumerae conchae, pisces, solumque salibus imbuitur, unde facile quis induci posset, ut crederet argumento isto supra allato nihil effici. Is vero sciat, fluctus restagnantes maris non ultra viginti milliaria Russica (Werst) in continentem penetrare; jam vero per totum terrarum tractum ad Maeotin usque inveniuntur conchylia

18) CURT. VI. 4. 19.

19) Cf. PALLAS Reise d. d. südl. Statth. d. r. R. tom. I. p. 269.

chylia Caspiana, totumque solum sale o-
ductum est, praesertim trans rivulum Sa-
usque ad ejus latus occidentale. Quae cu-
ita sint, extra omnem dubitationem po-
tum esse videtur; ab hac parte mare Ca-
pium olim longe aliam figuram et amb-
tum habuisse, omninoque maximis mutatio-
nibus obnoxium fuisse.

Sed jam pergamus in describendo litore maris Caspii, et *secundo* quidem ejus tractu versus meridiem, qui intra fluvios Tereck et Kur, seu Cyrum comprehenditur. Hunc totum occupat Caucasus [20], qui ab oriente in occidentem porrectus, ubique ad Pontum et ad mare Caspium usque pertingit. Nostrum autem non est, accuratam horum montium descriptionem exhibere; hoc tantum adjiciendum, uti ille litorum tractus, quem modo descripsimus, mutationes, quas mare Caspium expertum, luculentissime testatur, ita hic, quem Caucasus occupat, contrarium evincit. In summo enim Cau-
casi

20) Cf. Reineggs Beschr. d. Caucasus. Georgi Beschr. d. r. R. tom. I. p. 112. 113.

usis cacumine nuda atque sterilia saxa inveniuntur, non vero disjecta et convulsa, ac si rerum omnium confusione ingenti quadam ruina congesta et accumulata fuissent, sed certis stratis disposita, ut quieta et immota inde ab origine in eodem statu usque mansisse videantur. Quemquam vero neque flammas eructat Caucasus, neque internis motibus concutitur, coecum tamen ignem alere videtur; quia ex eo plurimi fontes aquae fervidae et naphthae prorumpunt, qui simul ingentem coeni calidi vim evomunt, ex quo sensim sensimque colles haud exiguae magnitudinis exsistunt; quorum unum Lerchius [21]) septuaginta modulos marinos (Faden) altum, centum vero modulos longum fuisse tradit. Saepius fit, ut talis tumulus tam celeriter in altum evehatur, ut ipsis oculis incrementum adspicere liceat. Hae vero mutationes ipsum Caucasum nil adtinent. Sunt tamen, qui contendant, ex aliquot annis Caucasum subinde intremiscere, quod equidem pro

certo

21) In ejus Lebens- u. Reisebeschreibung.

certo affirmare non ausim. Naphtha autem ista uberrime ex monte quodam, cui nomen est Bannach, haud ita procul ab urbe Bacu prorumpit, indeque per omnes terras divenditur [22]). Omnino tota apud urbem Bacu maritima regio coeco igni videtur carpi; mergitur enim et corruit litus, quod falsae isti opinioni ansam dedit, mare in istis confiniis augeri.

Superiorem nostram, de hoc litoris tractu non mutato, sententiam confirmat natura orae, ab ea, qua litus inde a fluvio Tereck usque ad fluvium Jaïk sive Ural utitur, plane diversa. Uti enim illa sinuosa, lacera quasi et vadosa minutisque insulis et paludibus plena est; ita haec continua et uno tenore, non interrupta, pergit; eamque mare profundissimum alluit. Ubique altissimi scopuli imminent mari, quapropter, vix ullus portus, recipiendis navibus satis idoneus, in hac ora reperitur.

Diversus est *tertius* litorum Caspianorum tractus, qui inde a fluvio Cyro (Kur) usque

22) Gmelin. IV. 26.

usque ad Syderim vel Socandam amnes, intra trigesimum septimum et octavum latitudinis septentrionalis gradum mare Caspium subeuntes, porrigitur. Hae enim terrae maritimae, quibus nomen Ghilan et Mazanderan contigit, eandem usque naturam habuisse non videntur, quippe quae humidiores et paullo magis alliginosae [23]), atque etiam salibus imbutae sunt. Situs hujus terrae ita humilis ac depressus est, ut tota regio, pluviis hiemalibus cadentibus, stagnante aqua inundetur et in paludis speciem abeat, quae aestivo calore exsiccatur. Fontes et rivuli dulcis aquae vix inveniuntur, imo cuncti fere amari sunt; unde eam regionem e mari excrevisse, summorum auctorum inprimis Olivieri opinio est. Atque haec quidem litoris natura est usque ad jugum montium illud, quo versus meridiem provinciae Ghilan et Mazanderan cinguntur. Hucusque igitur mare Caspium aliquando pertinuisse crediderim.

Quod

23) Cf. Petrus della Valle hodoeporic. tom. II. epist. 4.

Quod vero hujus tractus natura jam nunc plane diversa est ab ea, qua utuntur salsa illa prope Rha et Kuma fluvios deserta, ea causa esse videtur, quod provinciae Ghilan et Mazanderan neutiquam planitiem immensae latitudinis sed angustissimum, quamquam longe porrectum, versus montes meridionales paullo accliviorem, tractum efficiunt. Quapropter aquae et rivuli a montibus istis celerrime decurrentes vel nives liquefactae plurimas istarum provinciarum regiones abluerunt, et salibus liberarunt, ut, cum solum per se pingue sit et limo insuper saturatum, feracissimae nec nisi passim desertae sint; quod idem Petrus della Valle[24]) et ipse Strabo[25]) asserit. Idcirco hae provinciae, multo magis quam ceterae mari Caspio adjacentes, vicis ac urbibus plenae sunt, inter quas primum locum, ut ceteras taceamus, tenent Rascha, Balfrusch et Asterabad; aliam nunc florentissimam condidit Schach Abas Persarum

rex

24) Lib. II. epist. 4.
25) XI. p. 776.

rex eique ut esset futurae opulentiae augurium nomen imposuit Fehrabad; Fehr enim, vox arabica, laetitiam, abad vero coloniam denotat.

Jam ad *quartum* et ultimum quidem litorum maris Caspii tractum pervenimus, qui inde a finibus provinciae Mazandaran usque ad Jemba seu Jaïk fluvios, per totum igitur orientale latus, porrigitur. Dictus autem fuit a veteribus auctoribus HERODOTO et PTOLEMAEO Chorasmia; ab Arabibus Chowarasm, Persis vero scriptoribus Karazm. Finitima est, a septentrione terra Aral, quam excipit Turkestan. Incolunt hunc totum tractum Truchmeni seu Turkomanni [26]). Hoc orientale maris Caspii latus simillimum est occidentali inde a Rha fluvio usque ad fluvium Terek, quippe quod certissime aliquando fundus maris fuerit. Totus enim inter mare Caspium et lacum Aral Isthmus desertum salsum

26) Cf. ABULGASIKHAN hist. Tartar. p. 346. et Allgem. Hist. d. Reisen tom. VII. c. 5.

sum ac arenosum est, nec nisi rarissimis ad ripas Oxi sive Amu sitis, fertilioribus terris passim distinctum. Sunt vero, qui putent, fertilem olim hunc terrarum tractum in desertum eo mutatum esse, quod Amu seu Oxus cursum suum a mari Caspio in lacum Aral detorserit; quo factum sit, ut terrae, cum nullis aquis irrigarentur, continuo exsiccarentur et incolae his finibus excedere cogerentur. Quod si res ita sese haberet, unde terra ibi salibus imbuta, et, quod manifeste contrarium evincit, conchyliis impleta? Secundum enim PETRI SIMONIS PALLAS certissimum testimonium ac multorum, qui prius hunc tractum investigarunt, auctoritatem constat, lacunas salis ibi fere innumeras majores minoresve, situm vero terrarum inter mare Caspium et lacum Aral humillimum maximeque depressum esse; praeterea innumeras conchas, atque easdem quidem, quas mare Caspium habet, inveniri. Porro vero lacus Aral eadem, quae mare Caspium, piscium genera alit. Terram vero ad mare Caspium declivem

clivem esse, jam CURTIUS monet, "namque perpetua vallis jacet (de Hyrcania septentrionali loquitur) usque ad mare Caspium patens [27])". Quapropter sine dubio hinc mare recessit. Accedit quod littus maris Caspii valde sinuosum plenumque recessuum est, neque uno tenore, uti in Caucasi tractu, pergit. Quae omnia maximas rerum mutationes testantur. Meminerimus porro ex omnium veterum auctorum testimonio, Oxum et Jaxartem in mare Caspium olim sese effudisse, veteres vero istum lacum Aral, quem nunc subeunt, prorsus ignorasse, ut quaerendum sit, num lacus iste seriori demum aevo ex stagnantibus fluminibus ortus fuerit: quae omnia si in mentem revocaverimus, verisimillimum videbitur, mare Caspium et ab orientali latere multis mutationibus fuisse obnoxium; ut ab uno tantum latere, nempe ubi Caucasi oram alluit, immutatum manserit.

27) Lib. VI. 4. 16.

CAPUT VIII.

DE VETERE AMBITU ET FIGURA MARIS CASPII, ET DE LACU ARAL.

Littoribus maris Caſpii accurate deſcriptis, patet jam via ad alteram, quam nobis propoſuimus, disquiſitionem, quale mare Caſpium fuerit, antequam hodiernus ſtatus atque ambitus ortus ſit; utque res conſueto ordine procedat, iterum ab ea occidentali maris Caſpii parte, quae inde a Volga fluvio usque ad Tereck amnem vergit, disputationem ordiamur.

Tenendum itaque primum eſt, mare Caſpium aliquando, uti ex certiſſimis ac manifeſtiſſimis veſtigiis colligi poteſt, paludi Maeotidi conjunctum fuiſſe; non dixerim vero Ponto Euxino, quod plerique ſcribunt [1]), repugnante litorum Ponti Euxini, et interjacentis Iſthmi natura. Orientale

1) Cf. inter alios BUFFON hiſt. nat. tom. I.

tale enim Ponti Euxini litus praealtum projectisque scopulis munitissimum est, unoque tenore, nullis sinuosis recessibus ac paludibus interruptum, usque ad ostium Maeotidis, ubi Kuban fluvius urbem Kermentschuk praeterlabens Maeotidem subit, porrigitur, nec ulla aquam olim altius exsurrexisse vestigia habet. Quae enim hoc indicare credebantur, aliter explicanda sunt, ut sequenti capite docere conabimur. Praeterea vero neque conchylia neque coenum marinum nec sales aut aliud quidquam invenitur, quod nexum cum mari Caspio testetur. Isthmus vero perpetuo celsissimorum montium Caucasi jugo cingitur. Contra, nexum inter Maeotidem paludem et Caspium mare aliquando exstitisse docet Isthmus iste, utrique mari interjacens, quem jam in antecedenti capite descripsimus; ac praecipue quidem litus orientale Maeotidis. Totus enim ille tractus, qui inde a fluvio Kuban usque ad Tanaim (Don) vergit, uti Olivierus et Pallas docent, limosus est atque e mari excrevit, vel,

 quod

quod verisimilius est, limo Kuban fluvii et Tanais obductus est, quippe multo fertilior ea Isthmi illius parte, quam mare Caspium alluit. Idem vero tractus usque ad mare Caspium ita depressus est, ut Manytsch et Kuma amnes confluerent, quorum ille in Maeotidem paludem hic in mare Caspium alveum dirigit, nisi parvi tumuli ex arenis conflati interjacerent, qui et ostium Kumae amnis obstruxerunt [2]). Arenae enim, quas mare Caspium restagnando in litus invehit, ventis in medias terras proferuntur, indeque tumuli existunt isti, qui planitiem illam vastissimam interrumpunt. Praeterquam enim, quod alveos amnium Manytsch et Kuma separant, prohibent etiam mare Caspium, quominus usque ad istum Manytsch progredi possit. Neque nisi de his tumulis arenae, quorum aliqui ad mediocrem altitudinem adsurgunt, accipi possunt verba scriptorum quorundam, qui de montibus aut collibus inter Maeotidem paludem et mare

2) Cf PALLAS R. d. d. südl. Statth. d. r. R. tom. I. p. 264.

mare Caspium sitis loquuntur [3]). Porro autem Maeotis palus eodem modo, quo mare Caspium, circa littora vadosa est, praesertim prope ostia Tanais et Kuban fluvii, eaque de causa nullo satis idoneo portu instructa, praeter unum Taganrok. Scopulis et saxis fundus Maeotidis caret, arenis autem abundat eademque piscium genera, quae mare Caspium, alit. Majora quidem navigia fert, at propter vadosa littora et quia portus desunt, non multum in ea navigatur. Haec tradunt JUNKERUS, PALLAS et GULDENSTADTIUS, quorum opera Maeotis praecipue innotuit. Accedunt ad hoc exesa Maeotidis littora, et, quod manifestum aquarum decrementum testatur, quod ex PLINII [4]) testimonio Chersonesus Taurica olim circumflua undique fuit; dicit enim: "a Carcinite Taurica incipit, quondam mari circumfusa et ipsa, quaque

3) Cf. TOURNEFORT voyage du Levant tom. II. p. 124.

4) Hist. nat. lib. IV. c. 12.

quaque nunc jacent campi, deinde vasta adtollitur jugis". Quid? quod haec palus mutationibus adeo obnoxia est, ut novissimo demum tempore, quinto Septembris die anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono [5]) apud urbem Temruk haud ita procul ab ostiis Kuban fluvii in peninsula sitam, insula septuaginta duorum modulorum nauticorum longitudinem, quadraginta octo latitudinem habens, subito cum ingenti fragore orta fuerit; quae quidem sequenti anno iterum fluctibus maris hausta est. Quod etsi parum e re nostra esse videri potest, sequentibus tamen argumentis, quae PALLAS nobis [6]) subministravit, nemo sanus repugnaverit: In ultimo Maeotidis littore prope urbem Mariupol, intra Taganrok et Petrorock, manifestissima inveniuntur vestigia, Maeotidem aliquando quatuor, si minimum dixerimus, modulis nauticis (Faden) altiorem fuisse. In superiori enim

littoris

5) PALLAS Reise d. d. südl. Statth. d. r. R. tom. II. p. 4.

6) Reise d. d. südl. Statth. etc. I. p. 491.

littoris e calce strata aggesti margine, conspicua cernitur veteris alvei ora; undis quippe marinis superior iste margo magnopere exesus et cavatus est. Ac si quis crederet, hoc tantum inde esse ortum, quod fluctus maris, cum ventis tolluntur, istam oram littoris attererent, arena et conchylia Caspiana in cavis istis superioris marginis inventa satis superque hoc refutarent. Accedit quod strata ista mollioris soli, calci superimposita, non nisi e mari procrescere potuerunt, quippe quae aliginosa et humida sunt. Certissima haec argumenta nullo modo refelli possunt. Quid? quod locus iste, quem ex Strittero supra attulimus, accurate testatur, Maeotidem vel quarto aerae nostrae seculo istam habuisse altitudinem, ut per canalem, quem nunc Manytsch fluvius permeat, latiori flumine in planitiem versus mare Caspium restagnaret. Firmatur res praeterea eo, quod veteres auctores majorem Maeotidi ambitum, quam quo nunc utitur, adscribere videntur; et de ea aliter, ac pro hodierna magnitudine

exſpectandum eſſet, loquuntur. Strabo [7]) dicit: ὁ δὲ σύμπας τῆς λίμνης κύκλος ἐννακισχιλίων (ex emendatione Casauboni, cum antea legeretur ὀκτακισχιλίων) ἰσοῤῥεῖται σταδίων. Arrianus in periplo Ponti Euxini idem adfert: τῆς δὲ λίμνης τῆς Μαιώτιδος περίπλους ἐν κύκλῳ λέγεται εἶναι σταδίων ἀμφὶ τοὺς ἐννακισχιλίους. Polybius contra [8]): ὀκτακισχιλίων ἔχει τὴν περιγραφήν. Eam vero maximam eſſe, Dionysii Periegetae teſtimonio patet, ſiiquidem poetae auctoritatem adferre licet: "καλέουσι δὲ μητέρα Πόντου, Ἐκ τῆς γὰρ Πόντοιο τὸ μυρίον ἕλκεται ὕδωρ". Atque idem Plinius [9]) "Tanaïn ipſum Scythae Silin vocant, Maeotim Temerinda, quod ſignificat matrem maris" et Herodotus [10]) "ἡ Μαιῆτίς τε καλέεται καὶ μήτηρ τοῦ Πόντου". Neque forſitan Alexander [11]) in

Maeo-

7) Lib. VII. c. 477. ed. Almel.
8) Lib. IV. p. 427. ex ed. Amſtel.
9) Hiſt. nat. lib. VI. c. 7.
10) Lib. VI. c. 86.
11) Arriani lib. VII. c. 1. 4.

Maeotidem navigandi consilium cepisset, nisi rumor saltem istam latius patere ad eum perlatus esset. Ponto Euxino veteres [12]) ambitum vix triplo majorem eo, quo Maeotis utitur, adscribunt, cum tamen quadruplo seu quintuplo eum nunc majorem esse constet.

Postquam certissimis hisce argumentis demonstravimus, mare Caspium quondam Maeotidi fuisse conjunctum, omissis meridionalibus maris Caspii littoribus, quippe quae tam magnam mutationem vix passa fuerint, ad orientale litus statim pergimus, quod versus lacum Aral vergens, antecedenti capite jam attigimus et nexum mari Caspio et lacui isti intercedentem illustremus. Antequam vero ad hoc perveniamus, succincta quidem, peculiari tamen disquisitione de lacu Aral dicendum videtur, propter plurimas easque gravissimas difficultates, quae, aeque fere in hoc quam in mari Caspio

12) AGATHEM. comp. expos. geogr. lib. II. c. 3.

Caspio describendo optimorum geographorum torserunt ingenia.

Ex meliorum mapparum Russicarum fide situs est lacus Aral intra quadragesimum tertium et septimum latitudinis, septuagesimum sextum vero et octogesimum longitudinis gradum; atque inde a septentrione versus meridiem per trecenta, ab oriente vero in occidentem, ubi latissimus est, per ducenta milliaria Russica (Werst), porrigitur, ut ex nostro modulo sexaginta vel septuaginta milliaria geographica longitudinis, triginta circiter latitudinis habeat. Uti enim maris Caspii, ita hujus etiam lacus latitudo nusquam sibi constat, sed in meridionali maxime parte duplo major est quam in septentrionali. Circuitum ejus Ebn Haukal decimi saeculi geographus centum parasangas, recentiores vero centum quinquaginta milliaria habere dicunt. Patet igitur geographum Arabem computatione esse deceptum; nam, si tres quadrantes milliarii geographici unam parasangam efficere statuimus, ambitus dimidio fere minor

evadit,

evadit, quod falſum eſſe, optimae mappae geographicae evincunt. — Vocatur autem Ruſſis [13]) Aralskoi More; Tataris Alat-Dengis, i. e. mare inſulis refertum; audit praeterea propter caeruleum aquarum colorem: mare caeruleum; vulgatiſſimum vero ejus nomen Aral, ſignificat lacum aquilis frequentatum, noſtratibus Adler-ſee. Hiſtoria ejus admodum obſcura eſt; veteribus enim, uti ſtatim pluribus dicemus, prorſus erat ignotus; neque ab Arabum geographis certi aliquid, praeter fluctuantem ſitus, littorum et illabentium fluviorum deſcriptionem [14]) nobis proditum eſt. Nunquam fere ii, qui inde a ſaeculo decimo ſecundo usque ad decimum ſeptimum peregrinantes iſtas regiones peragrarunt [15]), quorum principes ſunt MARCUS PAULLUS Venetianus, ASCELLINUS, JOANNES DE PLANO.

13) GEORGI Beſchreib. tom. I. p. 255.

14) Cf. ABULFEDAE deſcriptio Chowaresmiae et Mawaralnatzrae in HUDS. geogr. minor. tom. III

15) Cf. caput I.

Plano-Carpinus, et recentiores Jenkinsonius, Adamus Olearius, Petrus della Valle, Tavernirius, alii, ejus mentionem faciunt; neque prius quam Petri I. Russorum imperatoris temporibus, clarior istius lacus notitia ad nos pervenit. Plurima tamen vel nostris temporibus in geographia hujus lacus desiderantur, nec nisi manca de eo tradere possumus. Scimus autem natura sua simillimum eum esse mari Caspio; utitur enim aqua salsissima, quod vel ex eo intelligi potest, quod Karakalpaci et Turkomanni ex aqua ejus, per canales in terram continentem deducta, sales solis radiis concretos excipiunt [16]); iisdem piscium generibus, scilicet sturionibus, busonibus phocisque abundat. Nulla fere, nisi piscium capiendorum causa, in eo navigatio; circa littora enim ubique vadosus, nec nisi minoribus navigiis aptus; portum vero, quantum scimus, habet nullum, atque omnino ab hominum commercio tam remotus est, ut vastissimis deser-

tis,

16) Allgem. Hist. der Reisen tom. VII. c. 5.

tis, si ripas fluviorum Amu sive Oxi et Sir sive Jaxartae excipis, ab omni parte cingitur. Refertus praeterea est insulis, unde, quod supra attulimus, Tataris Alat-Dengis dicitur. Maxime vero ab occidentali parte adjacent lacui Aral plurimi minores lacus salsi, quorum maximos adfert Georgius [17]) hosce: Aksacal Barbi, Telenem, Karacul, Ebelei, quem spissis salibus quotannis obduci perhibet. Habitant ab occidentali parte in deserto isthmo inter mare Caspium et hunc lacum rari Turkomanni, sive Truchmeni, et Tatari, qui dicuntur Usbecki in Chorasmia seu Chowarasm vel Karazm; orientem versus habitant Karakalpaci; qui omnes populi vagantur, neque certis sedibus propter locorum sterilitatem utuntur. Nemo fere unquam per horum barbarorum terram iter fecit, eaque de causa nihil certi de hoc lacu traditum est; et si quando rumor aliquis ad aures geographorum et peregrinantium de eo pervenerat, eum semper, quod ipsi Petro primo Imperatori accidit,

17) Beschreib. d. R. R. tom. I. p. 256.

cidit, partem maris Caspii putarunt. JENKINSONIUS tamen, sive ipse rem melius perquisiverit, sive ab Arabum geographis meliora edoctus, hunc lacum peculiarem, nec mari Caspio confluum, esse in hodoeporico suo scribit, quod ex eo patere videtur, quia Oxum fluvium, cui nunc nomen Amu, in lacum provinciae Kitay influere statuit. Cum enim JENKINSONIUS ipse inde ab ostiis Volgae fluvii, septentrionale et orientale maris littus legens, usque ad portum Manguslave, quem dicit, seu rectius Minkischlak navigarit, cogitari non potest, JENKINSONIUM communi omnium auctorum errore, quo et ipse OLEARIUS laborat [18], deceptum fuisse, ut Oxum in mare Caspium infundi crediderit, et lacum istum provinciae Kitay, cum mari Caspio confuderit. Terra vero, cui nomen Kitay, haud confundenda cum Katay seu Karakitay; quarum illa partem regni Sinarum efficit, versus septentrionem inde a flumine Hoangho sitam; haec vero terra Karakitay ad Bocho-

ram

18) Reisen IV. 16.

tam minorem pertinet, quippe cui finitimum est desertum Karakatay, per quod GOEZE, e societatis Jesu, iter fecit, cum in Kaschgar tenderet [19]. Illa terra Kitay vero, quam innuit JENKINSONIUS, totam Bocharam majorem, finitimasque regiones comprehendit, quas olim Sogdiana et Bactriana occupabant. Narrat enim ABULGASI-KHAN in historia Tatarorum, Dschingiskhanum impetum fecisse in terram Kitay eamque simul cum Chowaresmia seu Karazm in potestatem suam redegisse. Quae cum ita sint, JENKINSONII lacum terrae Kitay eundem esse existimem, cum lacu Chowaresmiae, de quo scribit ABULFEDA [20], i. e. lacu Aral. Haurit hic lacus duos fluvios, qui ab omnibus auctoribus, tum antiquis, tum recentioribus, inter maximos totius Asiae, praeter fluvios Indiae et Sibiriae, habentur

19) Videatur ejus itin. in allgem. Hist. d. R. tom. VII.

20) Descriptio Chowar. et Mawaraln. HUDS. geogr. tom. III.

habentur, Oxum scilicet, qui est Amu sive Jihun et Jaxartem sive Sir-Daria. Ex Imao monte, qui etiam Musdagh nominatur, defluentes, totius Bochorae majoris humores in lacum istum effundunt, quibus ipsi magnopere augentur. Eosdem olim quidem, uti neminem latet, mare Caspium subiisse a veteribus auctoribus narratur; de quo infra, cum de fluviis maris Caspii dicemus, disputandi erit locus. Hic tantum adjicimus, valde mirum esse quod a geographis mota non sit eadem quaestio de hoc lacu quae de mari Caspio, qui nempe fiat, ut litoribus suis nunquam exundet. Quodsi enim magnitudinem lacus hujus cum mari Caspio, et copiam aquarum, quam mare Caspium recipit, cum ea comparabis, quam lacus Aral haurit, multo mirabilius videbitur, eum nunquam super litora sua exaestuare. Neque dubitandum, si Athanasius Kircherus aliique huic similes geographi subtiles eum novissent, quin fauces et voragines quasdam subterraneas isti lacui affinxissent. Sed quo lacus Aral vastissimis

undi-

undique terris cinctus se effundere posset? Num in mare Caspium, quod ipsum ex istorum opinione subterraneo meatu opus habet? Ceterum ubique a mari est remotissimus, nec tenuis hujus lacus, quam tenemus, notitia vel tantillam praebet opinionem, subterraneos ibi meatus esse. Primi, qui hujus lacus mentionem fecerunt, quod jam supra diximus, fuerunt Arabes [21]. Neque istis temporibus Chorasmia tam deserta, uti nunc jacet, fuisse videtur; nominantur enim ab Abulfeda [22]) complures urbes atque emporia istius terrae e. g. Corang major sita lat. 42°, 17′ long. 84°, 1, Cath emporium secundum Albiruni lat. 41°, 36′ long. 85°. Corang minor, distans a majori decem milliaria et in occidua fluminis Jihun sive Oxi ripa sita. Neque in Mawaralnahar finitima Chowarezmiae provincia

21) Cf. Abulfeda descriptio Chowaresmiae et Mawaralnahar in Hudsoni geogr. min. tom. III.

22) C. l.

vincia desunt oppida: Alcatrya, Alsjadra, seu Villa nova seu Jagbi Cehat dicta, distat viginti quinque parasangas a Bochara. Cath civitas ultra fluvium Jihun, alluitur duobus fluminibus magnis Alcafarni et Amul, quorum alterum fluvium Khisil, qui in Oxum sive Jihun infunditur et illius terrae maximus post Oxum et Jaxartem habendum esse putaverim. Porro Ahurmet civitas, quam et EBN HAUCAL memorat. Hodie vero praeter urbem Urenz aliorum oppidorum ne vestigium quidem superest. Ipse ABULFEDA dicit: "ultra fluvium Jihun nulla habitatio". In easdem regiones BECKOVITZIUS, jussu Petri primi imperatoris, expeditionem suscepit, in primis ad ripas fluviorum Jihun et Khisil. Qui tamen quam funesta clade occubuerit, jam supra capite primo memoravimus. Haec de hodierno istius lacus statu atque natura sint dicta; restat gravior disquisitio de antiquitate et nexu ejus cum mari Caspio.

Quaerendum primum, num veteribus scriptoribus lacus iste notus fuerit, nec ne.

Jam

Jam vero apud veteres, quantum nos quidem exquirere potuimus, primum haec duo tantummodo loca occurrunt, quae ad lacum Aral referri posse quodammodo videntur. Prior locus est PTOLEMAEI, qui[23], ubi de montibus Sogdianae, e quibus Oxus et Jaxartes profluunt, loquitur, hunc in modum pergit: ἀφ᾽ ὧν, sc. ὀρῶν, ποταμοὶ διαρρέουσι συμβάλλοντες ἐκείνοις, sc. Oxo et Jaxarthe, πλείους ἀνώνυμοι, ὧν εἷς ποιεῖ τὴν Ὠξειανὴν λίμνην, ἧς τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας, long. 111°, lat. 45° καλεῖται δὲ ἡ ὀρεινὴ Κομηδῶν. Alter locus ex AMMIANO MARCELLINO[24]) depromptus est: Inter quos, scil. Montes Sogdios, amnes duo fluunt navium capacissimi Araxates et Dymas, qui per juga vallesque praecipites, in campestrem planitiem decurrentes; *Oxiam nomine paludem efficiunt*, longe lateque diffusam". Neque propter similitatem nominis praetereundus est PLI-

NII

23) Geogr. lib. VII. cap. 12.
24) Lib. XXIII. c. 6.

nit locus [25]): "Derbices; quorum medios fines secat Oxus amnis, ortus in lacu Oxo".
Vel me non monente patet, hunc Plinii Oxum lacum cum Oxia palude Ammiani Marcellini et λίμνῃ Ὀξειανῇ Ptolemaei non esse eundem, neque ullo modo pro lacu Aral posse haberi, quippe qui ad fontes Oxi fluvii retrahatur; restat igitur, ut dispiciamus, an Ammianus aut Ptolemaeus in istis locis lacum Aral innuerint. In eo quidem auctores consentiunt, ut lacum istum e confluxu amnium ex Imao seu montibus Sogdianae decurrentium ortum esse dicant: at in ipsis fluviis variant. Primum enim aliquid difficultatis habet Ptolemaei locus, cum lacum Oxianum e fluvio quodam, sicuti ceteri, Jaxartae et Oxo se admiscenti originem trahere scribit. Qui autem verisimile videri potest, unum fluvium tam ignobilem, ut ne nomen quidem ejus ad Ptolemaeum pervenerit, non solum lacum, quem Ammianus Marcellinus longe lateque diffusum pronuntiat, efficere,

25) Hist. nat. lib. VI. c. 16.

ficere, sed etiam, uti Rhenus ex lacu Brigantino sive Rhodanus e lacu Lemano ad Genevam prorumpens, aquas Jaxartae, vel Oxo, nam etiam hoc incertum, misceret. Ptolemaeus itaque aut parum accurate scripsit, aut magis adstipulandum est Ammiano, vel propterea quod duos fluvios istum lacum efficere perhibet; quorum alter Araxates an apud Ptolemaeum inveniatur ignoro; alter vero Dymas seu Dymus memoratur Ptolemaeo qui ejus fontes ponit sub long. 124°, lat. 43 gradum. Eum vero Jaxartae misceri scribit in long. 123° et lat. 47° gradu. Quamquam vero Ammianus Marcellinus de alveo aquarum paullo majori loqui videtur, vix tamen tam magnum, qualis est lacus Aral, innuit; alioquin Ptolemaei λίμνην vertisset lacum, non paludem. Praeterea scimus, nullum prorsus in istis regionibus intra Jaxartem et Oxum tam magnum inveniri fluvium, qui vel modico aquarum alveo explendo sufficiat; nam omnes aut a Jaxarte aut ab Oxo hauriuntur. Cavendum autem est, ne

 quis,

quia, cum e dulci fluviorum aqua salsi lacum oriri non posse videantur, invento, ferox nodum uno ictu disrumpere conetur, talem in modum ratiocinans: Uterque auctor scribit lacum Oxium seu Oxianem e fluviatili aqua originem trahere; quare, cum lacus Aral salsa aqua utatur, istum lacum Oxium sive Oxianem in lacum Aral nullo modo quadrare, et utrumque auctorem hunc lacum Aral ignorasse, in promptu est. Falsissima argumentatio! Primum enim, de sapore aquarum lacus istius uterque auctor silet; deinde quod fluvios dulces huic lacui misceri scribunt, hoc non impedit, quominus aquae ipsae fuerint salsae. Totius enim orbis terrarum, quantum hucusque peregrinantibus patuit, geographia edocti scimus, omnes paullo majores lacus, qui quidem non pro stagnis ex aqua pluvia vel fluviatili ortis sunt habendi, si fluvios dulces recipiunt, nullos vero emittunt, salsas et amaros esse, v. g. mare Caspium, lacum Aral, Asphaltitem lacum et alios; contra, si fluviis originem dant, sive recipiunt iterum-

que

que emittunt, aqua dulci utuntur [25]. Jam vero, AMMIANUS fluvium quendam ex ista Oxia palude provenire nusquam dicit; et PTOLEMAEUS magis incuria obscure scripsisse, quam illud innuisse videtur. An vero ex solis istorum fluviorum aquis, quod dicunt, lacus ille Oxius seu Oxianus ortus esset, nec ne, PTOLEMAEUS et AMMIANUS nullo modo scire poterant; hoc tantum ex eorum verbis constat, duo flumina aquas suas isti lacui admiscuisse, hoc vero, quo minus falsus fuerit, non obstat; ut sane hic lacus Aral esse possit. At alia eaque certiora argumenta non desunt, Oxiam paludem utriusque auctoris cum lacu Aral nil commune habere; primum enim, quod jam dictum est, nullus fluvius exstat in istis regionibus, praeter Jaxartem et Oxum, qui talem lacum efficere possit, utrumque autem in mare Caspium deducunt. Porro si Oxianes lacu PTOLEMAEI tam magnus quam Aral fuisset, diligentissimus geographicarum rerum

25) Cf. BUFFONIUS hist. nat. tom. II.

rerum ſcrutator, certe in medio iſtius lacus ſolo deſignando haud adquieviſſet, quod long. 111° lat. 45° fuiſſe ſcribit, ſed longitudinem et latitudinem, ut alias ſolet, diligentius notaſſet. Accedit quod neque STRABO, nec ullus reliquorum in hoc genere ſcriptorum vel leviſſimam talis lacus injecit mentionem, qui, cum tamen Jaxartae curſus eos haud lateret, lacum Oxianem, ſi tanti momenti fuiſſet, ignorare non poterant. STRABO [26]: "Ὁ μέν τοι Ἰαξάρτης ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους ἕτερος ἐστὶ τοῦ τε Ὄξου, καὶ εἰς μὲν τὴν αὐτὴν τελευτῶν θάλατταν· αἱ δὲ ἐκβολαὶ διέχουσι ἀλλήλων παρασάγγας ὡς ὀγδοήκοντα. Qui fieri potuiſſet, ut talem lacum ſilentio tranſiret, in deſcriptione ſitus et fluviorum iſtarum regionum? Complures denique in iſtis locis reperiuntur lacus ſtagnantes mediocri magnitudine, ad quos commode Oxia palus AMMIANI et PTOLEMAEI referri poſſit. Supra jam quatuor attulimus ex GEORGII deſcriptione Imperii Ruſſici.

26) Lib. XI. 788. ALMEL.

fici. Addi his possunt et alii v. c. lacus Taran haud ita procul a Maracandis in Bochara majori, vel Karagkol lacus prope Bocharam, quos in mappa geographica terrae Chowaresmiae seu Karazm descriptos invenies. Cujus clima quadragesimi gradus lat. quamquam cum PTOLEMAEI ratione non congruere videtur, tamen in eo nulla difficultas quaerenda, quum PTOLEMAEUS, quod in initio tertii capitis jam observatum est, totum istum terrarum tractum tribus seu quatuor gradibus justo propius septentrioni admoveat. Situs vero est lacus Taran inter Jaxartem et Oxum; ad lacum Saysan vix referre ausim Oxium lacum, quippe ultra Jaxartem situm. Ad quem vero istorum lacuum minorum referendus sit iste AMMIANI PTOLEMAEIQUE lacus, forsitan ne ipsi quidem auctores tam fluctuante horum locorum notitia instructi dixerint, nec nos ullo modo certo definire possumus; hoc tantum constat, ad lacum Aral istam Oxiam paludem seu Oxianem lacum non spectare.

Inve-

Invenitur apud Herodotum locus 27) ubi primam lacus Aral mentionem fieri auctores quidam suspicati sunt. Summa istius loci haec est: In confiniis Chorasmiorum, Hyrcanorum et Parthorum depressa planities, montibus undique cincta, jacet; quae cum olim Chorasmiorum esset, postquam Persae rerum potiti sunt, in potestatem regis venit. Ex ista autem convalle per quinque ostia labitur ingens fluvius, cui nomen Aces, singulas istorum populorum terras irrigaturus. At rex Persarum, lucri cupiditate incitatus, quinque ista montis ostia obstruxit; qui factum est, ut ista planities, intercepto fluminis Acis effluxu, in mare mutaretur; terrae vero illorum populorum ariditate foedissima vastarentur. Accolae igitur in summum discrimen adducti regem adierunt, eumque ut claustra montis solveret, enixe rogarunt; quod ille, nisi tributo a singulis sibi populis pro singulis portis aperiendis soluto, se facturum esse negavit.

Vix

27) Lib. III. c. 117.

Vix operae pretium est, istorum 28) opinionem refellere, qui inundatam istam planitiem lacum Aral esse putant. Situs quidem in Chorasmiorum finibus conveniret cum climate lacus Aral; cetera vero omnia fere repugnant. Primum enim Herodotus illud πεδίον περικεκλημένον οὔρεϊ πάντοθεν dicit; Aral vero lacus vastissima undique planitie cinctus est. Auctor porro in describendo isto loco pergit: ἐκ δὴ ὦν τοῦ περικληΐοντος οὔρεος τούτου ῥέει ποταμὸς μέγας· οὔνομα δέ οἵ ἐστι Ἄκης. Narrat itaque, istam planitiem in mare transmutatam, non tam flumen recepisse, quam perdidisse; ut lacus iste circa fontes fluvii Acis esset collocandus, quod secus illi in lacu Aral habet, nec ullo modo cum Oxia Ammiani Marcellini palude et lacu Oxiane Ptolemaei, de quibus disputavimus, sed potius cum lacu Oxo Plinii 29) conveniret, ex quo auctor Oxum fluvium derivat.

28) V. c. Francogalli Sainte-Croix in examen critique etc.

29) Hist. nat. lib. VI. c. 16.

vat. Quamquam enim legitur ἐνδιδόντος τοῦ ποταμοῦ, hoc magis de aqua montibus defluente ibique ſtagnante acceperim. Quales denique hominum manus, qualesque, quaeſo, obſtructiones ad aquam tanti lacus, quantus eſt Aral, intercipiendam ſuffeciſſent? Multo melius natura iſtius loci et magnitudo factitii illius pelagi; Herodoti enim: τὸ πεδίον τὸ ἐντὸς τῶν οὐρέων πέλαγος γίγνεται, in lacum iſtum Taran prope Maracanda quadraret, quem ſupra memoravimus; at hic nos dicere nil attinet, quo iſte lacus Herodoti, vel fluvius Aces referendi ſint; noſtrum erat demonſtrare, ſummum auctorem de lacu Aral in iſto loco neutiquam cogitaſſe.

Rectius huc alter Herodoti locus pertineret, in quo de Araxis cujusdam fluminis oſtiis loquitur, ſi modo conſtaret, quis fluvius eſſet intelligendus. Quamquam ſi, omiſſis ceteris, uno hoc teſtimonio contenti eſſe vellemus, ſequeretur Araxem Herodoti omnino eundem eſſe ac Jaxartem

reli-

reliquorum auctorum. Scribit enim [30]: ἔθνος; sc. Massagetarum, οἰκημένον δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολὰς πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ, ἀντίον δὲ Ἰσσηδόνων ἀνδρῶν. Constat autem omnium auctorum testimonio, Massagetas trans Jaxartem flumen sedes suas habuisse. Pergit HERODOTUS sequenti capite ejusdem libri [31]) dicens de hoc Araxe: στόμασι δὲ ἐξερεύγεται τεσσεράκοντα, τῶν τὰ πάντα πλὴν ἑνὸς εἰς ἕλεά τε καὶ τενάγεα ἐκδιδοῖ· τὸ δὲ ἓν τῶν στομάτων τοῦ Ἀράξεω ῥέει διὰ καθαροῦ ἐς τὴν Κασπίην θάλασσαν. Multa omnino sunt, praesertim illa quadraginta ostia, quae in Jaxartem non quadrant; unde ingens inter viros doctos lis exstitit, quemnam potissimum fluvium intellexerit; quam quidem quaestionem, nunc a proposito alienam, nos in illud caput, ubi de fluviis maris Caspii agemus, differemus, hoc tantum adjecto: illa ἕλεα καὶ τενάγεα, stagna et paludes, melius ad minores illos quam ad

lacum

30) Lib. I. c. 201.

31) Lib. I. c. 202.

lacum tantae magnitudinis, qualis est lacus Aral, referri; praesertim cum expressis verbis adjiciat auctor, unum istius fluvii brachium in mare Caspium influere; hoc autem fieri non posset, si ista ἕλεα καὶ τέλματα lacum Aral designarent. Nullum enim Jaxartis brachium vel lacum Aral permeat vel circumit, in mare Caspium cursum dirigens. Posset hoc de Oxo potius seu Amu vel Jihun, ut infra suo loco exponemus, quodammodo dici. Omnino autem, si Herodotus ibi tantum lacum latere vel levissime suspicatus fuisset, ne dicam si notitiam quandam ejus habuisset, diligentissimus rerum geographicarum scriptor non sic culentius indicasset, nec tam alto silentio transsivisset. Loco Herodoteo addendus alius e Strabone, qui quamquam ex nostra quidem opinione, idem tantum evincit. Scribit enim Strabo [32]), Massagetas partim montana loca, partim campos, partim vero *paludes a fluminibus effectas*, partim vero insulas in istis paludibus habitare. Hec bene-

32) XI. p. 780.

bene cum Herodoti verbis convenit, praesertim cum et ille fluvium Massagetarum terram permeantem vocet Araxum, levi discrimine, qui Araxes. Eadem tamen, quae illis, et his Strabonis verbis obstant, quominus tantus lacus intelligi queat.

Haec sola, quantum pro tenui antiquitatis cognitione adfirmare nobis licet, Plinii, Ptolemaei, Ammiani Marcellini, Herodoti et Strabonis loca in eam opinionem adducere legentem poterant, ut aliquam certe lacus Aral notitiam veteres habuisse arbitraretur; jam vero, postquam demonstratum est, opinionem istam argumentis satis certis haud inniti, patet veteres nullam omnino istius lacus Aral mentionem fecisse; posset igitur quis induci, ut eum antiquis temporibus omnino non fuisse, sed post Ptolemaei, Strabonis, caeterorumque, antiquorum auctorum aetatem demum ortum esse crederet. Quodsi sequi vellemus locos scriptorum, in quibus istius lacus mentio injicitur, tunc proximis post Christum natum temporibus, inter tertium

forsitan et octavum saeculum ortus esset, cum jam Arabes de eo tanquam de ingenti aquarum alveo loquantur; ii autem aucto-res, qui ista saecula praecedunt, ejus non meminerint. Sed multa sunt, quae cum hac opinione videantur pugnare atque po-tiora quidem haec: Cum certò sciamus, post hominum memoriam, ne dicam post Christum natum, mare fluctus suos in istam Asiae partem non egisse, sed, quod haud absonum videtur, si quando Oceanus in ista loca penetrarit, hanc rerum conversio-nem ante historiam nostram necesse sit esse factam: lacus Aral, si prioribus demum saeculis aerae nostrae natus esset, e collu-vie Oxi et Jaxartae ortus esset, quum re-cedentis maris pars residua nullo modo esse possit. Cursus autem Oxi et Jaxartae, ac-cumulata arena in isthmo inter mare Cas-pium et lacum Aral, facile intercipi pote-rat. Contra vero aqua lacus Aral, uti jam diximus, amara atque marina est, ut vix intelligi possit, quomodo aqua fluviatilis ac dulcis saporis istorum fluminum, si *ex ea*

sola

folo ortus esset iste lacus, tam brevi aliquot saeculorum spatio, in aquam amaram verti potuerit. Cum hoc minime pugnat, quod supra lacus, fluvios recipientes quidem sed non emittentes, diximus semper amaros esse. Neutiquam enim ex illabentibus fluminibus ortos esse istos lacus contendimus, sed verisimilius ex recedenti mari residuos factos esse credimus. Majores enim ejusmodo lacus, de stagnis enim sermo non est, ubique fere in locis admodum depressis jacent, repletique sunt piscibus, conchis, coeno nigro et arenis marinis, ut salsedo istis lacubus quasi innata, nec ab illabentibus fluviis addita esse videatur, uti vir naturae experientissimus BUFFONIUS contendit [33]) fluvios sales e terris, quas permeant, haustos, lacubus inferre arbitrans. Jam vero qui fit, ut aqua marina circa ostia fluminum dulcior semper sit, et in ea regione cyprini aliique pisces dulcis aquae amantes; quod supra in mari Caspio accidere

33) Cf. hist. nat. tom. II. de lacubus.

dere docuimus, saepissime nascantur? Qui porro fit, ut quae multos dulces fluvios in se recipiant maria, uti Pontus Euxinus, Palus Maeotis, dulciora sint ceteris, atque quod alii volunt, indies mitescant? Cum omnino caussam salsedinis maris ignoremus, multo lubentius tamen eorum opinioni adstipularer, qui eam ex ingenti quodam in fundo maris sito salis penore derivant; idque eo firmatur, quod, quo magis venti aequora cient, eo magis aqua maris amarescit. Quamquam enim non ignarus sum, nullam tempestatem tam atrocem esse, ut fluctus marinos ad fundum usque eruat: hoc tamen ex eo sequitur, salsedinem in profundo maris esse majorem. Patere itaque videtur, aquam fluviatilem solam salsedinem lacubus non impertiri. Quae si ita sunt, in promtu est, lacum Aral ex aqua stagnante Jaxartae et Oxi nullo modo oriri potuisse; neque, etsi verum est, quod Plinius [34]) scribit: Oxum et Ochum salis ramenta deferre, haec unquam tantae aquarum

34) Hist. nat. lib. XXXI. c. 7.

rum copiae amaritudine imbuendae suffecissent; tam brevi praesertim spatio, quum jam Arabes de eo ut de lacu amaro loquuntur. Praeterea, si amnes hunc lacum amarum reddidissent, salsedinem ejus indies crescere oporteret, quod neque in hoc lacu, neque in mari Caspio et Ponto Euxino observatum est. Ex salsis vero fontibus ortum esse lacum, absurdum foret credere; quippe qui scaturiendo tam ingentem aquarum copiam efficere nunquam potuissent, quam neque Jaxartes et Oxus, permagni fluvii, exundare faciunt. Accedit quod si revera superabundans istorum fluviorum copia aquarum istum lacum effecit, intelligi vix potest, cur nunc eum in planissimo terrarum tractu situm, non amplius augeant atque dilatent. Contra vero mare Caspium isto tempore, quo lacus Aral oriretur, subducta tam ingenti aquarum copia propter interceptum Oxi et Jaxartae cursum magnopere extenuari et imminui oportuisset: sed quanquam nosmet ipsi jam demonstravimus, mare Caspium latius aliquando patuisse, ho-

dierno tamen ambitu id jam Herodoti, Ptolemaei et ceterorum illorum auctorum temporibus usum esse, omnesque istas maris Caspii immutationes in remotissimum et quasi Ogygium aevum rejiciendas putaverim, de quo sequenti capite pluribus dicemus. Quae omnia si diligenter perpenderimus, certo persuasum nobis habebimus, Jaxartem et Oxum lacum Aral stagnando non effecisse; quo probato simul corruit eorum opinio, qui istum lacum recentiori tempore ortum esse putant, cum certum sit, seriori aetate nullum mare, cujus residua pars esset Aral, in istis terris stagnasse.

Contra vero isti ullo modo fieri posse negabunt, ut veteres, quibus Asia ultra Jaxartem nota erat, qui utriusque fluvii Jaxartae scilicet et Oxi ostia ad unum omnes noverant, quantumque inter se distarent, sciebant, populos ibi degentes, ut Ptolemaeus, et flumina et montes alia que cognoverant, tam ingentem lacum, si revera exstitisset, prorsus ignorare potuissent. Quibus equidem responderim, vete-

rés

res istum lacum novisse, sed eum non peculiarem et mediterraneum lacum, verum partem maris Caspii habuisse. Primum enim, quod notitiam Transoxanae attinet, quam Graeci habuerunt, per se patet, eam admodum fluxam atque tenuem fuisse. Neque enim STRABO, neque PTOLEMAEUS ceterique geographiae scriptores suis ipsorum oculis istas terras conspexerant, nec nisi sibi relata memoriae prodiderunt, et vero etiam in locorum situ describendo magnopere variant omniaque miscent. Quid igitur mirum, si illos opinio plerumque fefellerit, cum nec nos, quamquam summos auctores habemus, qui multum diuque in istis terris versati sunt, ad recentissima usque tempora multum recti sanique tradere potuerimus! Ipse STRABO [35]) confitetur, parum accurate istas regiones exploratas esse; Ἁπλούστερον enim ἀκούειν oportere dicit, quod ad distantias locorum attinet, nec omnem περίπλουν τῆς θαλάττης

ὑπὰ

35) Lib. XI. p. 773.

ὑπὸ Ἑλλήνων γνώριμον esse. Quod luculentissime ignorantia Alexandri magni ejusque comitum probat, qui, quamvis ad Jaxartem urbem condidissent, eum tamen pro Tanai, et mare, quod hunc fluvium recipit, pro Maeoti habuerunt; uti apud CURTIUM, ARRIANUM ceterosque rerum Alexandri M. scriptores videre licet. Neque omnino, quod supra jam diximus, ostia Oxi et Jaxartae navigando tentaverunt; saltem apud neminem, quantum nos quidem scimus, proditur quidquam, quod veteres istas terras adiisse testetur. Quamvis enim via mercatorum Maracandis Cyreschata duceret [36]), ea tamen per Bocharam et Persidem tantum pergebat, nec alicubi lacum Aral vel regiones prope eum jacentes attingebat; neque qui mercatum proficiscebantur, unquam in Jaxarte aut Oxo devehi solebant, quippe cujus immania flumenta et catarrhactae et vadosa loca navigationem vix admittebant. Quid? quod, etsi revera Jaxartae et Oxi ostia veteres tentas-

sent,

36) HEEREN Ideen tom. I.

sent, neutiquam hoc eos ad rectiorem de natura istius lacus, in quem influit uterque fluvius, sententiam nanciscendam juvasset; quippe qui eum tractum orientalem maris Caspii putassent. Atque ita etiam vere accidit. Non latebat quidem eos, istos fluvios in magnum aliquem aquarum gurgitem effundi, qui quis alius esse poterat, quam Caspius, cum Isthmi istius inter mare Caspium et lacum Aral ignari essent? Neque mirum est veteres tali errore deceptos esse, cum et recentiores omnes praeter JENKINSONIUM et Arabes, lacum Aral aut prorsus non cognoverint, aut eum partem maris Caspii esse putarint; quare geographi veteres non tam sunt culpandi, quam nos ipsi. Ac per Petrum I. imperatorem demum hic error explosus est, quamquam et ii, quos, ut has terras auri in Oxo et Jaxarte sive in fodinis inveniendi gratia perquirerent, dimiserat, in eundem errorem inciderunt. Veteres vero, qui magis etiam quam nos in climate et longitudine locorum constituenda errare solebant, quod vel

ex eo patet, quod Ptolemaeus fere totam Asiam mediam quatuor gradibus propius Boream admovit quam par est, eo facilius in falsam de hoc lacu opinionem adduci poterant, ut mare Caspium usque eo vergere crederent, cum navigando vix tentassent, quam vastus esset tractus usque ad latus orientale maris Caspii, indeque per Isthmum usque ad lacum Aral. Confirmatur hoc eo, quod plures veterum scriptorum ingentem mari Caspio adscribunt latitudinem [37]), quae veram diligenter per Carolum van Verden exploratam ter vel quinquies superat, uti fecerunt Strabo et Ptolemaeus. Vix intelligi potest, quid subtilissimum geographum Ptolemaeum contra omnium antiquorum auctorum testimonium permovisset, ut tam ingentem errorem committeret, nisi lacum Aral cognovisset, eumque partem maris Caspii esse credidisset, ignorato interjacente isthmo; tunc vero ratio ejus optime cum veritate consentit, si eum illam opinionem amplexum esse puta-

37) Cf. tabula in calce capitis V.

putamus. Fieri autem vix aliter potuisse, quam ut isthmum istum non PTOLEMAEUS solum verum etiam ceteri geographi veteres ignorarent supra jam dictum est, nec hic repetere licet. Medio tandem aevo cognita est vera istarum regionum natura, neque tamen cuiquam praeter Arabes innotuit, atque hac quidem de causa satis probabili, quod summae rerum conversiones, populorum motus, Turkomannorum et Arabum migrationes ibi fierent, omninoque istis temporibus Asia media per totum orbem terrarum inclaresceret et omnium oculos in se converteret. Quapropter facile intelligitur, quomodo verior istius lacus notitia ad Arabes saltem perferri potuerit.

His argumentis, ni fallor, demonstrasse mihi videor, quid de lacu Aral in geographia antiqua statuendum sit; nempe eum jam HERODOTI, STRABONIS, PTOLEMAEI et omnium istorum scriptorum temporibus eundem fuisse, qualis et hodie est, nec seriori demum tempore aqua stagnante Jaxartae et Oxi concrevisse; id quod etiam ipsa

hujus

hujus lacus natura prorsus refutatur. Supra enim jam diximus, in eo ingentem copiam sturionum, phocarum et concharum marinarum nasci, aquam vero, victo sine dubio influentium amnium sale, paullo dulciorem habere saporem, quam cetera maria. At quaeso, quomodo isti pisces marini et conchae in lacum pervenissent, nisi ex recedenti Oceano fuisset residuum? Quod argumentum vel ad eos refellendos sufficeret, qui hunc lacum subito terrae motu vel simili rerum conversione, uti lacus Omi in insula Japanorum Niphon [38]) ortum esse autumarent. Praeterea vero, cum in tota ista salsa planitie nullum ejusmodi conversionis seu motus vestigium inveniatur, nec minimum stagnum cum ingenti lacu conferendum sit, de cujus repentino ortu rumor, certe, uti de Atlantide mari hausta, apud circumhabitantes populos mansisset, per se patet, quam ineptum foret, ejusmodi quidquam somniare.

Post-

38) Cf. HAARLEM dissert. tom. XIV.

Postquam de natura et historia lacus Aral latius exposuimus, pauca tantum de pristino nexu ejus cum mari Caspio dicenda erunt. Scilicet ex iis, quae disputavimus, per se patet, cum ex ingenti quodam aquarum tractu, inde ab ostiis Jaxartae usque ad fauces Ponti Euxini uno tenore procurrente, relictum esse, uti ipsum quoque mare Caspium. Ac BUFFONIUS vir clarissimus in historia naturali [39]) nexum maris Caspii cum lacu Aral tali argumento, nescio an satis idoneo, probat: Omnes scilicet fluvios omnesque lacus ab oriente in occidentem vergere, uti verbi causa mare mediterraneum, et Pontum Euxinum (quod tamen, quomodo de fluviis asseri possit non video); mare Caspium autem, et lacum Aral a septentrione extendi, contra quam ceteros omnes aquarum fluxus; juncto autem utroque lacu hunc quoque aquarum tractum ex oriente pandi. Forsitan si verum esset, quod BUFFONIUS observavit, communis hic lacuum mariumque situs ex eadem

39) Tom. II. de fluviis.

eadem causa esset explicandus, ex qua venti isti, qui dicuntur etesii (Passatwinde) ex oriente versus occidentem se dirigentes, nempe ex motu terrae ab occidente in orientem actae. Sed certius quam illud BUFFONII argumentum est natura isthmi, quem antecedenti capite descripsimus. Conchae enim marinae innumerae, lacus salsi istum tractum occupantes, eademque in mari Caspio ac lacu Aral piscium genera reperta nexum satis superque testantur [40]. Multi autem objecerunt, planitiem istam inter mare Caspium et lacum Aral, terram scilicet Turcomannorum sive Truchmenorum, montibus esse impletam [41]). De quo tamen cum PALLAS aliique taceant, omnino dubitandum. Certe jugum aliquod montium utrique lacui haud interjacet, quod conjunctionem impedire potuisset; singuli vero montes

40) Cf. PETER SIM. PALLAS Reisen in d. südl. c. l. SYLVESTRE DE SACY notices de la geographie D'EBN HAUCAL. p. 83. 97. RENNEL geographical system of HERODOTUS.

41) Allgem. Hist. d. Reisen tom. VII. c. 5.

tes conjunctioni non obstant; ac sunt fortasse colles, similes iis qui in deserto amnis Kuma, ex arenis scilicet conflati et mediocri tantum altitudine. Consideres porro litora lacus Aral, quam ingenti sinuum numero incisa, marisque circa ea tractus, quam sit vadosus! Praesertim in meridionali lacus Aral sinu, qui magis ad occidentem et ad eum quidem maris Caspii sinum vergit, cui nomen est Sellizure et paullo superius ad sinum ALEXANDRI BECKOWITZ. In his quidem locis ambo maria vix viginti milliaria distant, et qui interjacet isthmus, tam depressus et montibus vacuus est, ut, nisi utriusque maris littora tam vadosa essent, mutuis aquis, tempestatibus saltem coortis, perfunderentur. Viget quoque apud incolas istarum regionum fama, lacum Aral aliquando per fluvium quendam mari Caspio fuisse conjunctum; istum vero a Chano quodam terrae congestu obstructum esse. Ejus certe nullum vestigium superest 42).

Quibus

42) GEORGI Beschr. d. R. R. tom. I. p. 255.

Quibus omnibus luculenter expositis restat, ut totum istum veterem maris Caspii ambitum lectoribus ante oculos ponamus, quo facilius summam eorum, quae disputavimus, possint intelligere. Percurramus totum maris circuitum inde a fluvio Tereck, per litus septemtrionale, orientale, et meridionale usque ad Cyrum fluvium, sive Kur. Qui enim hunc excipit littoris tractus inde a Cyro usque ad fluvium Tereck, is solus est, quod superiori capite demonstravimus, qui immutatus non fuerit.

Occupabant igitur fluenta maris Caspii, si a fluvio Tereck incipimus, omnia ista deserta, quae permeant Kuma fluvius rivulique, Solk, non ita procul ab urbe Georgiewsk, et Malk, oppidum Bieloi-Metschet praeterlabens, atque Tereck fluvium subiens. Quapropter vir clarissimus SIMON PETRUS PALLAS [43]) opinatur, rivulum istum Malk per vallem rivuli Kura, quae ad Bieloi-Metschet usque porrigitur, in mare Caspium se effu-

43) Reise d. d. südl. Statth. Tom. I. p. 355.

effudiffe, cum eosdem lapillos volvat, quibus ifta vallis repleta eft. Seu ifte Malk per vallem prope Bieloi-Metfchet in alveum rivi Solka delatus, cum illo junctis aquis, in Kuma fluvium influebat. Idem credit, fluvios Backfan et Tereck olim magis verfus Boream curfum tenuiffe, arenasque fecum tuliffe, e quibus poftea tumuli ifti et deferta, mobilibus arenis repleta, originem traxerint.

Porro iftam uliginofam planitiem, e qua Manytfch rivus inertia volvit fluenta, inde ab occidentali maris Cafpii littore usque ad rivulum Sarpa, et ulterius ad rivulos Utuk, Nisnoi et Stannoi Sal, mare hoc noftrum implebat, fecundum id, quod fide digniffimi geographi nobis prodiderunt; inprimis P. S. Pallas vetus occidente litus inter fexagefimum primum et fexagefimum fecundum latitudinis gradum conftituit. Praeterquam enim quod hic divortio aquarum omnes rivuli in Maeotidem vergunt, definit folum falibus effe imbutum, evanefcit uliginofum maris coenum, offert

P fe

lum aqua marina nunc mergeretur, nunc, recedente aqua, exſiccaretur. Perpetuum hujus ſoli ex aqua marina concreti jugum haud ultra triginta novem modulos marinos attollitur, quod veram priſtini maris altitudinem indicat, cum circumjacentes colles editiores ſint. Praeterea arundinis et cocci marini ſtrata haud ita procul a colonia, cui nomen Sarepta, vidit etiam GMELINUS [46]). Palus Maeotis per omnem Tauricam, quamque Tanais permeat planitiem, diffuſa proxime ad mare Caſpium accedebat, junctaque erant fluenta utriusque maris, ut unum tantum mare efficerent, freto ſatis largo nexa per canalem, quem hodie Manytſch amnis in tam parvum aquarum alveum contractus, permeat. De qua tamen re jam ſupra ſatis ſuperque dictum eſt.

46) Cf. ejus itin. et S. P. PALLAS verſchiedl. tom. III. p. 568-576.

CA-

CAPUT IX.

DE CAUSIS MUTATIONUM MARIS CASPII.

Nondum, quod jam dudum quis desideraverit, attigimus, quo tempore antiquus maris Caspii status mutatus fuerit. Vel me non monente patet, istam ambitus et figurae hujus maris mutationem non subito, et uno quasi ictu, sed sensim sensimque factam; pluresque in formatione istorum marium lacus Aral, maris Caspii, Maeotidis et Ponti Euxini periodos esse statuendas. Quod enim ortum eorum, lacus Aral certe et maris Caspii attinet, cum nullo modo ex ipsa terra per fontes erumpere potuerint, neque ex irruentibus fluviis originem traxerint, ingentes aliquando vastissimi aquarum tractus fuisse sinus, nemo sanus dubitaverit. Haec vero multitudo aquarum immani quadam rerum conversione, quam aut

 pror-

prorsus ignoramus; aut est hoc celeberrimum illud, de quo omnes et sacri et profani auctores loquuntur, diluvium, in mediam Asiam immissa esse videtur, quo tempore forsitan et mare mediterraneum ortum. Certissime enim, ut infra docebimus, Oceanus ex occidente versus orientem, nec quod alii falso putant, e parte contraria, irrupit. Caspium autem mare partem Oceani fuisse, nec ex colluvie fluviorum originem habere, tum omnes eae rationes, quas in disputatione de lacu Aral attulimus, manifestissime testantur, tum, quod, si unquam tanta istis fluminibus fuisset aquarum abundantia, ut tam ingentes lacus efficere potuissent, iidem lacus, cum amnibus istis perpetuo fluentibus, augeri aquis et exundare deberent, decrescere potius atque imminui videntur. Quod quidem decrementum, etsi quodammodo inde derivari potest, quod ipsi fluvii imminuuntur: patet, tamen hoc ab initio esse factum neque adparet, qua de caussa aliquando tam abunde restagnarint. Si quis tamen propterea hoc

acci-

accidisse putaret, quod cursus Jaxartae et Oxi nullum prorsus, quantum scimus, in isthmo inter lacum Aral et mare Caspium exstat vestigium, quod tamen in alveo antiquo Oxi (cf. infra de Oxo) factum esse videmus; praeterea vero, etsi concedere velimus, veterem Jaxartae canalem mobilibus isthmi illius arenis facile potuisse oppleri; hoc tamen ad refutandam illam opinionem satis superque sufficeret, quod, ex summorum auctorum fide, uterque fluvius ad lacum Aral aegre pervenit; unde tantum abest, ut obstructis his fluviis tam magnum spatium aquis oppletum esse verisimile videatur, ut potius certum sit, Jaxartem saltem mare Caspium numquam attigisse. De Oxo autem suo loco disputabimus.

Prima itaque istorum marium est periodus, quum post irruptionem Oceani, continuus aquarum tractus esset inde a mediterraneo mari usque ad Imaum. Quam quidem periodum neutiquam historia, sed conjectura tantum assequimur, certâ tamen ac stabili, quae coraliis in isthmo inter

 mare

mare Caſpium ac Pontum Euxinum inventis innititur. Reperiuntur enim iſta coralia in vicinitate maris Caſpii, ubi non amplius conchae Caſpiacae diſperſae jacent, nec alicubi niſi in imo maris fundo inveniuntur [1]). Patet itaque, iſta coralia tempore multo vetuſtiori ſolo eſſe infixa, quam conchae illae per planitiem diffuſae ſint.

Altera periodus ea ipſa eſt, de cujus ſtatu prioribus duobus capitibus expoſuimus, illud temporis ſpatium complectens; quo ingens iſta aquarum multitudo ſenſim ſenſimque decreſceret, terraequae paſſim editiores nudarentur atque e gurgite proſpectarent, et Caſpium maxime mare usque ad eos fines recederet, quos antecedenti capite modo deſcripſimus. Cujus quidem periodi hoc praecipuum eſt ac notatu digniſſimum, quod tunc lacus Aral nondum exſtabat, ſed mare Caſpium eum amplectebatur; ab altera vero parte hoc mare multum jamjam imminutum, quippe ad rivulum Sarpa et ad

1) Cf. PALLAS Reiſen in verſchiedl. tom. III. l. ſaepius jam c.

ad Obtſchei - Sirt, ad fluvium Ural ſive Jaïk retractum, Maeotidi tamen per canalem fluvii Manytſch conjunctum erat. Nec hujus alterius periodi ſtatum hiſtoria nobis prodidit, nec tempore HERODOTI amplius obtinuit, ſed luculentiſſimis ac certiſſimis argumentis aliquando eum exſtitiſſe colligimus.

Tertia denique periodus recentiorem maris Caſpii ſtatum comprehendit, quo quidem poſt hominum memoriam, paucis dubiis in medio relictis, uſum eſſe mare Caſpium videtur. Atque noſtrum nunc eſt, oſtendere, quomodo ſtatus maris ex altera periodo in tertiam tranſierit, ſive qui factum ſit, ut lacus Aral a mari Caſpio idque a ponto Euxino, ſeu rectius a Maeotide ſecerneretur. Et hanc mutationem ſenſim ſenſimque eveniſſe, ut vel totius ſaeculi homines falleret, STRITTERIANUS locus, quem ſupra attulimus, docet; ex quo patet, iſtum canalem Manytſch fluvii, vel quinto ſaeculo non prorſus exhauſtum fuiſſe aquis; idemque in iſthmo inter la-

cum Aral et mare Caspium factum esse probabile est.

Sed ut ipsam nostram disputationem ordiamur, tres omnino caussas exstitisse crediderim, quibus effectum sit, ut mare Caspium utrinque nexu cum ceteris maribus destitueretur ac mediterraneum fieret; aut enim Pontus Euxinus, aut mare Caspium tantum decrevit, ut isthmus inter utrumque mare aperiretur, aut illabentibus fluviis tanta limi copia inter Pontum Euxinum et mare Caspium aggesta est, ut interjecta quasi mole separarentur. Idem dicendum de lacu Aral in hodiernum statum ac formam mutato.

In considerando prima causa, num scilicet decremento Ponti Euxini maris Caspii hodiernus status et ambitus ortus sit, hoc praecipue quaerendum est, num probabiles adsint rationes, Pontum Euxinum antiquis temporibus altiorem, quam nunc, fuisse. Constat quidem [2]) litora Ponti Euxini quibusdam

2) OLIVIER voyage en Perse tom. III. c. 8.

busdam in locis ad sex septemve modulos marinos supra maris superficiem aquis allisis esse, attrita; hoc tamen verisimilius fluctibus tempestate commotis effectum credas. Accedit quod ea, quae OLIVIERUS in itinerie sui in Persidem descriptione adfert, aequor Ponti Euxini nunquam altius quam nunc fuisse, satis superque testantur. Totum enim Ponti Euxini Europaeum litus argillosum est, nec ullum durioris saxi invenitur vestigium. Quamquam itaque Asiaticum Ponti Euxini litus celsissimum, praeruptum et saxosum est, tamen cum versus Propontidem Europaeum litus admodum sit depressum, fluctus Ponti, si olim altior fuisset, usque ad argillosa Europaei littoris strata facile adscendissent, victaque ac dissoluta argilla totum littus delevisset. Ac si vel decem modulis francicis (Toisen) altius fuisset mare nigrum, per convallem inde ab effluviis Sangarii ad Propontidem prope urbem Nicaeam patentem, in Propontidem penetrasset, totamque certe Bithyniam inundasset. Planities enim ista, in

qua

qua sita est urbs Nicaea, sive Isnik (quam cave ne confundas cum Isnikmid sive Nicomedia in eadem provincia sita) sex tantum modulis gallicis (Toisen) editior est sinu Propontidis, qui vocatur Mundania. In hunc vero sinum se effundunt aquae lacus cujusdam exigui prope Nicaeam urbem. At ex altera parte versus Pontum Euxinum, inde a Nicaea urbe, leniter fluit Sangarius seu hodierno vocabulo Sacaria; ut perpetua fere et admodum depressa vallis inde a Propontide usque ad ipsum Pontum jaceat, per quam iste, si vel sex modulis altior fuisset, aquas suas emittere potuisset. Praeterea a nulla fere parte Pontus Euxinus arenosis iisdemque late patentibus desertis, uti mare Caspium vel lacus Aral, cingitur, quae mare recedens sui quasi monumenta reliquerit, nec conchylia per arenas dispersa inveniuntur. Nemo autem depressa Ponti Euxini circa ostia Danubii littora, tanquam e Ponto residua, hic afferat, quippe quae omnino recentiora, ac fluvii ingentem limi copiam secum ferentis opera sunt effecta.

Sed

Sed jam videamus, quam causam decrementi Ponti afferant ii, qui eum aliquando altiorem fuisse contendunt. Aeque fere ac mare Caspium ingenia doctorum propter immensam, quam haurit, aquarum copiam, torsit Pontus Euxinus, quippe qui totius fere Europae meridionalis inde a finibus Rhenanis Germaniae usque ad Asiam haurit humores. Ut praecipuos tantum fluvios nominemus: Danubium, Borysthenem, Tanaim, Hypanim, hodie Kuban dictum, qui aquas suas per Bosporum Cimmerium ex Maeoti in Pontum transmittunt, recipit Pontus; taceamus enim innumeros ignobiliores amnes et rivulos, qui in eum deferuntur. Quapropter auctores quidam et huic mari subterraneos meatus adscripserunt, per quos aquarum abundantia emitteretur; sed cum nusquam ejusmodi voraginum vel levissima adpareant vestigia, nec quo aquas deferre possint pateat (ac res eadem est, in mari mediterraneo), ista sententia a plurimis, quantum scimus, explosa est; simul tamen pejori etiam ansam praebuit,

buit, quam celeberrimos rerum geographicarum scriptores, TOURNEFORTIUM, BUFFONIUM, et quodammodo ipsum PALLAS 3), amplexos esse miror. Statuunt enim isti, Pontum Euxinum superfluas aquas per Bosporum Thracium et Hellespontum in mare mediterraneum emittere; hoc ipsum vero mediterraneum mare tam ingenti aquarum affluxu simulque irruentibus fluviis Europaeis et Nilo tantopere auctum esse, ut columnas Herculis perruperit et in Oceanum per fretum Gaditanum se effundat. Idem in dissertationibus suis affirmarunt DUREAU DE LA MALLE et CHOISEUL Academiae Parisiensi adscripti: decimo sexto a. C. n. saeculo, Pontum Euxinum effracto Bosporo Thracio, celeberrimum istum Deucalioneum diluvium in Graeciam et Archipelagum effudisse; quam quidem opinionem uterque locis e classicis scriptoribus desumtis firmare conatur.

3) TOURNEFORT voyage du Levant tom. II. lettre XV. BUFFON. hist. nat. tom. I. PALLAS Reisen in verschiedl. Pr. d. r. R. III. 568.

conatur. At dubitandum est, num in hisce pessima in rebus geographicis incuria ac levitas an summa in affirmando audacia magis sit miranda! quibus veterum locis haec opinio nitatur, nescio; nisi uno Diodori Siculi [4]) de inundatione Samothraces insulae: οἱ δὲ Σαμοθρᾶκες ἱστοροῦσι, πρὸ τῶν ἄλλων γενομένων κατακλυσμῶν, ἕτερον ἐκεῖ μέγαν γενέσθαι, τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὰς Κυανέας στόματος ῥαγέντος, μετὰ δὲ ταῦτα, τοῦ Ἑλλησπόντου. Τὸ γὰρ ἐν τῷ πόντῳ πέλαγος λίμνης ἔχον τάξιν μέχρι τοσούτου πεπληρῶσθαι διὰ τῶν εἰσρεόντων ποταμῶν, μέχρις ὅτου διὰ τὸ πλῆθος παρεκλυθὲν τὸ ῥεῦμα λάβρως ἐξέπεσεν εἰς τὸν Ἑλλήσποντον καὶ πολλὴν μὲν τῆς Ἀσίας γῆς παρὰ θάλατταν ἐπέκλυσεν. Contra quem Diodori locum si auctoritatibus certandum est, contrarium evincit Plinius, cujus testimonio Diodori narrationem nemo sanus praetulerit [5]). Is enim recte contendit, Oceanum per fretum Gaditanum irrupisse,

4) Bibl. hist. Lib. V. c. 47.
5) Hist. nat. lib. VI. c. I.

pisse, perque Hellespontum Propontide infudisse, iterum terris devoratis." "Pergit a Bosporo quoque in aliam vastitatem pandi-tur, nulla satietate, donec exspatientur lacus a Maeoti rapinam suam, urgeat". Praeterea Diodori loco, cum rumore tantum hominum ore circumlato nitatur, parum fidei est tribuendum, accedente Diodori in ejusmodi rebus vel credulitate, vel acuminis in judicando infelicitate. Quo pacto enim verisimile videri potest, in sola hac tam exigua insula, fluctibus ex Hellesponto ne obvia quidem, nec vero in majoribus Archipelagi insulis v. g. Lemno, Lesbo et aliis istius diluvii famam remansisse? Praeterea incolae vix scire poterant, num Oceanus e mari mediterraneo, an Pontus Euxinus per Bosporum irruisset, cum omnia historiae documenta in hac rerum conversione perirent necesse esset. In tali re sola locorum et maris natura, non vero antiquitatis testimonia vera nos docere possunt.

Constat

Constat omnino tum veterum [6]), tum recentiorum [7]) scriptorum testimonio, Hellespontum et Bosporum Thracium aliquando subterraneis ignibus fuisse concussum et etiamnum concuti, suntque coeci ignis multa vestigia. Quapropter latentis istius ignis vi potius, quam fluctuum impetu fretum ibi effractum esse crediderim, praesertim quum, quod isti credunt, aquarum Ponti Euxini abundantem copiam per hunc canalem emitti, falsissimum sit. Multorum enim virorum accurata diligentia jam dudum observatum est, aquas Ponti superiori quidem fluxu e Ponto in Propontidem ferri, at inferiori quodam vortice denuo in Pontum e Propontide remitti. Afferamus primum TOURNEFORTII [8]) testimonium ad refutandam suam ipsius et ceterorum de Ponto opinionem. In Bosporo Thracio, cum venti silent, in medio alveo aquae e Ponto

6) ARIST. Meteor. lib. II. c. 8.
7) OLIVIER voyage en Perse. tom. III. c. 8.
8) Voyage du Levant tom. II. lettre XV.

Ponto in Propontidem feruntur, simul tamen undae e portu Constantinopolitano provenientes et adversis montibus prope urbem Scutari repercussae, rapide versus Pontum torquentur; qui fit ut dum majori isto maris fluxu versus meridiem navigatur, minori hoc in septemtrionem vehi liceat. Praeter hos vero tertius in Bosporo sentitur vortex, coecus quidem, et in inferiori tantum canalis parte, quo, uti jam diximus, aquae iterum Ponto immittuntur. Ipse quidem TOURNEFORTIUS rem non exploravit, sed aliorum diligentia et testimonio satis exploratam et confirmatam prodit. PROCOPIUS enim Caesariensis retia piscatorum paullo altius in Bosporum immissa, desuper quidem, si libere fluctuandi copia iis detur, versus meridiem, infra autem versus septentrionem agi narrat. Praeter hunc rem diligentissime perquisiverunt GILLAS, MARSILLIUS et SPALLANZANIUS, quorum certissimis testimoniis talem refluxum sub maris superficie latentem, non solum in Bosporo Thracio, verum etiam in Hel-

lesponto

lespopto ac freto Gaditano sentiri constat. Quid? quod in immani isto Americae meridionalis fluvio, cui nomen est Amazonum, idem evenire perhibet celeberrimus CONDAMINIUS, nisi consueta recessus maris vicissitudine deceptus fuerit. Scimus enim, cum aestus maris ingruit, totum fluvium ad quadraginta fere milliaria repelli, eundem tamen in toto mediterraneo mari vix sentiri. Accedit quod mare mediterraneum, uti mox docebimus, ab occidente sese terris infudit, eoque, naturalem impetum suum sequendo, hunc cursum tenere necessario debuit. Non me fugit, duplicem maris vorticem cum naturae legibus componi posse, multos inque his ipsum, ni fallor, BUFFONIUM negare. Sed quid juvat, si quod vere fit, fieri non posse demonstrant? Praeterea, cum nemo fundum in istis maris mediterranei faucibus accurate cognoverit, nescio cur incredibile sit, imum maris fundum, aquarum irruentium impetu exesum, in Pontum esse depressum; undas vero, adverso litore repulsas, et angustiis Bosphori

 in

in fretum octingentos tantum passus patens coactas, contrariam viam sequi. Notissimum enim est, fundum maris adeo esse varium, ut plurimi fluxus in Oceano existant, a vento haud pendentes atque a cursu undarum prorsus deflectentes. Idem mihi confirmari videtur eo, quod, si mare tempestatibus sollicitatur, haud ultra quinquaginta cubitos commovetur, fluxusque maris solitum suum cursum sequuntur, etsi superficies maris vehementissime impellitur. Videmus itaque duplicem imo multiplicem maris fluxum et flexum revera esse; cur igitur eum etiam cessante vento, ubi irruentium fluviorum vis, praesertim in Ponto Euxino, quae fluctus versus Bosporum agit, litorum objectorum et ipsorum faucium in superiori parte naturae facillime contrarium vorticem efficere possunt, eum qui in ipso fundo maris sentitur, non admittamus?

Sed quocunque tandem modo illud sese habeat, tamen, si aquae per tot ingentes fluvios in pontum Euxinum immissae, copiam, cum ea, quae per angustissimas Bo-

spori

spori fauces emittitur diligenter comparamus, ineptum unicuique, quod TOURNEFORTIUS ceterique ejusdem opinionis defensores tradiderunt, videbitur. Etenim Bosporum vix mille passus latum esse constat; contra quam latissimis ostiis se inferunt in Pontum Hypanis, Tanais, qui per Bosporum Cimmerium aquas suas Ponto communicat, Borysthenes, Tyrus sive Danaster et ante omnes Ister! Vel singulahorum fluviorum ostia ter quaterve Bosporo latiora sunt; ergo tanto plus aquae inferunt quam Bosporus haurit. Quapropter insanum foret statuere, Pontum abundantes aquas per Bosporum emittere, ejusque decrementi illam esse causam; nam si immensam Ponti amplitudinem, immensamque aquarum vim per fluvios ipsi illatam, respicimus, nullius prorsus momenti quod effluit per Bosporum esse, luculenter adparet.

Ineptius etiam est, quod quidam, rerum geographicarum satis imperiti, diluvium illud Deucalioneum, omnibus scrip-

toribus decantatum, ex illo Bosporі freto derivant; uti Diodorus Siculus et recentiores quidam, auctoritatem ejus secuti, fecerunt. Qui unquam, quaeso, fieri potuisset, ut altissimi Thraciae montes, Haemus et Rhodope seu Emmehdag et Despotodag, ut Thessaliae et totius Graeciae editissima juga aquis ex angusto freto emissis inundarentur? Multo minus autem cogitari potest, tantam fuisse vim aquarum per Bosporum et Hellespontum profluentium, ut iis immensum illud, quod mare mediterraneum nunc occupat, spatium non solum impleretur, verum etiam mare tantopere augeretur, ut freto Gaditano effracto, viam sibi in Oceanum faceret. His atque similibus vel tritissima opponere satis est. In vulgus enim notum est, Pontum octavam tantummodo maris mediterranei partem efficere, neque ex ipso Ponto plus quam decimam circiter influentium aquarum partem per Bosporum in mare mediterraneum immitti, eaque de causa, ne dicam istud fretum, sed ne totum quidem Pontum mari mediterraneo

terraneo implendo sufficere. Praeterea, isti ignorare videntur, Oceanum in mare mediterraneum, non vero hoc in illum per fretum Gaditanum immitti; ipsumque fretum quintuplo latius esse ac Bosporum et Hellespontum. Ex quo patet, de origine maris mediterranei istos prorsus contrariam sententiam falso esse amplexos, quippe qui impetum aquarum ex oriente factum esse putant. At primum iste ex Oceano in mare mediterraneum aquarum fluxus, deinde tota maris figura docet, hoc secus, ac illi statuerunt, evenisse. Necessario enim aquae per angustum Herculis fretum summa vi coactae, in latissimum spatium diffundebantur, omnesque interni maris sinus, praeter Hadriaticum et Syrtim minorem, testantur impetum aquarum inde a freto Herculeo esse ortum, quippe qui omnes in orientem sunt conversi. Ruebant enim primum fluctus in istum ingentem maris tractum inter Galliam et Italiam fractaque ibi ad litus Italiae et promontoria Sicula eorum vi, recta via versus Africam delati, totum istum si-

num inde a minore usque ad majorem Syrtim patentem cavarunt; inde ulterius diffusi, spatium inter Aegyptum et Asiam minorem impleverunt, cohibente impetum Syria, celsissimis montibus munita. Nec dubitandum, quin idem aquarum Oceani impetus, effecto mari Aegeo, per occidentalem partem Asiae minoris inundatam Ponto quoque originem dederit; inde ulterius per borealem Caucasi angulum latus, nisi ad Imaum usque, certe in arenosa deserta, quae lacum Aral ab orientali latere cingunt, pervenerit. Si quis vero mihi objiciat, universum maris motum ob oriente in occidentem tendere haud secus ac ventos istos, qui nostratibus dicuntur: "Passatevinde": is sciat, primum istum motum ventosque istos intra circulum capricorni et cancri tantum sentiri et vel etiamnum totum occidentale Africae litus tantopere aestu marino torqueri, ut paucissimis tantum locis, naves tuto adpellere possint, et nisi tot promontoria fluctuum vim frangentia obstarent, litus jam diu admodum esset undis

exesum.

exesum. Omnino vero si quis negat, Oceanum per fretum Gaditanum intrasse, is totum internum mare fluminibus illabentibus effectum esse statuat necesse est, postquam demonstravimus paucissima, quae per Bosporum effertur, aqua tam ingens spatium nullo modo expleri potuisse, quum fretum Gaditanum, quod ex illorum opinione abundantes aquas in Oceanum emittit, quintuplo latius sit, quam Bosporus. Sed si meam mihi opinionem in medium proferre licet, flumina, quae in mare mediterraneum incidunt; praesertim tanta aquarum copia per fretum Herculeum emissa, per se sola ad efficiendum mare internum suffecisse neutiquam crediderim. Consideremus enim istos fluvios, qui ex Europa in hoc mare decurrunt. Invenimus praeter Padum, Rhodanum et Iberum vix ullos esse mentione dignos, contra vero, quam magnus nobilissimorum fluviorum numerus e boreali latere Europae in Oceanum infunditur! Quod quidem aliter fieri nullo modo potest; quum continuum illud montium jugum inde

a promontorio Sacro, per Hispaniam, Galliam, Helvetiam, Germaniam usque ad Pontum porrectum, tam prope ad meridionalem Europae oram accedat, ut meridionalis Europae acclivitatis (Abdachung) spatium, ubi divortia aquarum sunt, cum boreali vix conferri possit. Influunt tamen in mare internum aquae Nili et Bospori. At me Hercle! si fretum Gaditanum e mari mediterraneo emissum esset, quod isti volunt, qui impetum undarum ab oriente ortum esse censeat, omnium istorum fluviorum aquae cum quinque millia passuum latum sit, procul dubio efferrentur, nec unde mare ipsum efficeretur, suppeteret. Jam vero cogitemus aquas, quas Pontus plurimas ex tot tantisque fluviis v. c. Istro, Danatra, Borysthene, Tanai, Hypani seu Kuban recipit; quorum unus quisque, excepto Nilo, bis terve major est, quam singuli maris interni fluvii; ipse vero pontus octavam tantum maris mediterranei partem efficit, minima undarum per Bosporum parte emissa, nec tamen exaestuat. Si igitur

Pontus

Pontus ex illabentibus fluviis effectus est, quod illi autumant, nullo modo de mari mediterraneo ita statui potest; alioquin vix decima parte aquarum octies majus mare ortum esset. Quae cum ita sint, quamquam post haec omnia difficultatem de salsedine maris interni aliquis jactare posset, tamen cum eam superiori capite attigerimus, acquiescamus in his, quae de ortu maris mediterranei diximus, e quibus luculentissime patet, illud irruente maxime Oceano, minima vero ex parte fluviis illabentibus, esse effectum.

Sed timeo, ne quis vitio vertat, quod paullo latius evagatus sim, cum satis sit demonstrasse, Bosporum decrementi Ponti Euxini causam omnino non esse, quippe qui vix decimam aquarum partem, quam Pontus recipit, emittat. Praeclusis igitur omnibus, quibus Pontus imminui posset (exhalationis enim, quae perpetua est, ac perpetuum decrementum nostris quoque temporibus efficit, ratio haberi non potest), dispiciendum jam est, an mare Caspium

ulto

ultro decreverit, atque utrumque isthmum vacuefecerit. Sed ne cui mirum videatur, quod hanc rem in superioribus capitibus luculenter demonstratam hic iterum in dubium vocemus, tenendum est, nostrum nunc esse quaerere num mare Caspium immoto Ponto Euxino interjectoque *isthmo, per semet* ipsum, et uti diximus, *ultro* decrescere potuerit, ac revera decreverit, nec ne. Paucissimis hanc quaestionem *absol*vere possumus. Jam supra observatum est, mare Caspium septuaginta circiter ulnis Ponto esse inferiorem, cum, ubi *Tanais* proxime ad Rha fluvium accedit, ad Zarizun vel Dmitrewsk, totidem modulis ille in Pontum se infundens superior sit Rha fluvio in mare Caspium influente. Quare quum, mare Caspium per canalem fluvii Manytsch cum Ponto conjunctum fuisse docuerimus, etiamsi aliqua de causa aquae mari Caspio fuissent subductae, eae tamen per canalem Manytsch usque e Ponto suppletae essent; quae quidem jactura Ponto, cum immensam aquarum vim hauriat, levissima

vissima esse debebat; eadem vero prospectum erat, ne unquam mare Caspium diminueretur. Quapropter quum situs hujus maris tantopere sit depressus, nec subterranei meatus statui possunt, quod in capite de natura maris Caspii adserere conati sumus, ut cum denique totum mediterraneum sit, ultro decrescere nullo modo potuerit.

Restat tamen alia, decrementum maris Caspii declarandi ratio, ut scilicet, cum sciamus Jaxartem et Oxum in lacum Aral infundi, statuamus istos cursum suum a mari Caspio deflexisse, eoque, detracta tanta aquarum copia, mare Caspium decrevisse. Sed jam supra, de lacu Aral vidimus, monuimusque Jaxartem ad mare Caspium nunquam pervenisse; ex Oxo vero tantam rerum conversionem proficisci non potuisse, etsi alterum ejus bracchium a mari Caspio fuisset detortum in lacum Aral, sequenti capite latius demonstraturi sumus; unde patet, decrementum istius maris aliunde esse explicandum. Ex iisdem vero rationibus, etiam lacum Aral ultro decrescere non potuisse,

nuisse, in promtu est, cum nulli mari sit conjunctus; quodsi vel subterraneae fauces, vel exhalationes tantum aquae ipsi et mari Caspio detraherent, etiam nostris ipsis temporibus hoc utriusque lacus decrementum sentiretur necesse esset; quod secus esse omnibus compertum.

Unum itaque hoc restat, ut interjecta mole mare Caspium a ceteris dissociatum esse statuamus; quod quidem, quantum conjectura assequi licet, hoc maxime modo evenisse arbitror. Interruptus primum est nexus inter Pontum et mare Caspium, quod et OLIVIERO placet, ingenti Tanais, Hypanis seu Cuban et Rha fluviorum, in illa conjunctorum marium parte, limi copia aggesta. Quo factum est, ut arenosum et uliginosum solum accresceret, et isthmus eam, quam nunc habet, naturam indueret. Cum enim omnes fluvii et rivuli, montium, de quibus descendunt, particulas quasdam pluvia ablutas, secum auferant: tum isti, quos nominavimus, prae ceteris ingentem limi vim secum praecipitem agunt.

Ostia

Ostia enim Rha fluvii longe lateque limo et coeno repleta omnisque vicinus mari Caspio vadosissimus tractus, eam rem manifeste testantur. Idem de Hypani et Tanai dicendum. Quocum et testimonia veterum scriptorum consentiunt, inprimis verba summi ARISTOTELIS [9]) δῆλον γὰρ, ὡς ἐγχώσεως μὲν γενομένης ἐγένοντο λίμναι καὶ χέρσος. Χρόνου δὲ γενομένου τὸ ἐναπολειφθὲν καὶ λιμνάσαν ὕδωρ ξηρανθὲν, ἐστὶν ἤδη φρουδον. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην ἐπιδέδωκε τῇ προσχώσει τῶν ποταμῶν τοσοῦτον, ὥστε ἐκ τούτου ῥᾴδιον ἀναλογίσασθαι, ὅτι — τὸ τελευταῖον πᾶσαν ἀνάγκη γενέσθαι ξηράν. Idem asserit POLYBIUS [10]), adjieitque, cum multa vis limi inferatur Φανερὸν ὡς οὔποτε, ἀλλὰ ταχέως συμβήσεται γενέσθαι. τὸ δὴ νῦν λεγόμενον, sc. istam Ponti et Maeotis repletionem, τὴν μὲν οὖν Μαιῶτιν ἤδη κινχῶσθαι συμβαίνει, quoniam minoribus navibus tantum intrari potest. Adjicit de

Istro

9) Meteorologicorum lib. I. c. 14.
10) Lib. IV. p. 307. edd. CASAUB.

ἴλεο: συμβαίνει πρὸς τούτον, σχεδὸν ἐπὶ χίλια στάδια συνεστάναι ταινίαν ἡμέρας δρόμον ἀπεχούσαν τῆς γῆς, ἥτις συνέστηκε ἐκ τῆς τοῖς στόμασιν ἐκφερομένης ἰλύος. Atque tales e limo congestae moles στῆθη vocari scribit. Addere potuissent auctores ingentem quotannis terrae copiam, pluviis et liquefactis nivibus allatam Caucaso in istam desertam planitiem fluviorum Terek, Kuma, Manytsch deferri, qui omnes et insuper rivuli Malk, Kura, Solka, Baksan suas quisque particulas addiderunt, tantumque limi aggerem junctis viribus exstruxerunt, ut ipsi arenis inhaererent, nec mare Caspium tam late ac antea fluctus suos agere posset. Quae omnia cum innumeris exemplis similium mutationum confirmari possint, in paucis tamen, iisque manifestissimis, acquiescamus. In vulgus notum est rivulos prope Venetias tantam limi copiam secum efferre, et nisi summa diligentia et opera maximisque impensis Senatus Venetianus canales urbis quotannis purgandas curaret, mare jam dudum inde exclusum, et

ipsae

ipsae Venethae in continenti essent constitutae. Constat Ludovicum IX. Francogallorum regem, expeditionem cruciatam suscepturum, e portu Franciae, cui nomen Aigues-Mortes, solvisse; idem vero portus nunc unius leucae Gallicae spatium a mari abest; quod, nisi limo a rivulo vel mari aggesto, fieri nullo modo potuit. At nullus omnium fluviorum in hoc genere magis memorabilis est Nilo *), cuius donum est totum illud propter fertilitatem celeberrimum Delta; idem ripas suas regionemque ripis vicinam aggesto limo tantopere auxit, ut nostra aetate duplo altius quam tempore Myreos regis, teste HERODOTO, crescere debeat, donec superatis ripis in vicinos agros exundet; praeterea, quod notissimum est, totum Pelusiacum ostium obstruxit; Tamiatim, maritimam olim, mediterraneam fecit, omninoque tot tantisque mutationibus occasionem dedit, ut vel narratu dignissimas hic perscribere me spatium non

*) Cf. HERODOT. lib. II. priorib. capitib.

non finat. Eadem quoque de Missisippi in America, deque Hoangho fluvio in Asia afferri possent, sed sufficiant ad sententiam nostram confirmandam, quae exposuimus.

Jam vero non est, quod amplius dubitemus, cum singulos fluvios tantas mutationes effecisse videamus, tot magnos fluvios rivulosque; quales sunt Tanais Hypanis seu Kuban, Rha, Terek, Kuma, Manytsch, Solka, Baksan etc. conjunctim eadem efficere potuisse, praesertim cum vadoso canali utrumque mare cohaereret, ut scilicet mole inter Caspium et Euxinum mare interjecta, utriusque maris nexum obstruerent. Quo comprobato, facillimo, uti spero, negotio demonstrabimus, qui factum sit, ut mare Caspium et lacus Aral, hodiernum statum induerent. Etenim constat, si tum maris Caspii, tum Ponti magnitudinem cum aquarum per fluvios illatarum copia diligenter comparamus, illud multo minorem aquarum vim haurire quam Pontum Euxinum; accedit quod propter coeli calorem in mari Caspio augetur exhalatio, nec, nisi

Pontum

Pontum per Bosporum Thracium se effundere omnes autumassent, in difficultate de mari Caspio expediendo, ubi scilicet aquae ejus absorbendae, tam diu haesissent, sed Pontus potius animos eorum advertisset. Ex quo patet; istud mare, earum aquarum, quas Pontus per canalem fluvii Manytsch per desertum Kumaenense immittebat, capacissimum fuisse, imo vero iis opus habuisse, si aquas suas Ponto conterminas facere vellet. Nexu vero per fluvios limum usque aggerentes, intercepto, sensim sensimque decrevit. Sed cum mare Caspium excepta ea parte occidentali qua Caucasus παρατείνει, undique depressa planitie cinctum sit, istud decrementum ab omni latere similiter mari Caspio exortum est, ut hinc Isthmus desertus, quem Kuma et Manytsch permeant, paullo superius planities, quam Rha fluvius et Jaïk seu Ural irrigant, illinc vero isthmus inter lacum Aral et mare Caspium aperiretur. Nec credendum, canalem istum semper tam angustum fuisse quam nunc est alveus fluvii Manytsch; alioquin

 ex

ex eo intercepto, tantum maris Caspii decrementum derivare ineptum foret. Sed illa tam vasta planitie fluctus marini longe lateque diffluebant, et largissimo alveo mare Caspium petebant; idem testantur conchylia marina latissime in istis desertis diffusa. Quare largissima certe aquarum copia erat, quam mare Caspium primum e Ponto accepit, cujus tamen postea, interjecta mole, jacturam fecit; unde non mirandum est, quod tantopere utrinque decreverit. Accedit quod Rha, Kuma et Terock fluvii non solum, limum in medium aggerendo, canalem fluvii Manyesch obstruerent, verum etiam continentem omnino terram littoribus adderent, et mare Caspium prorsus repellerent. In quo, quantum inter ceteros Cyrus fluvius valuerit, discere licet ex STRABONE [11]; Ὁ δὲ Κῦρος ὁ διαῤῥέων τὴν Ἀλβανίαν καὶ οἱ ἄλλοι ποταμοὶ οἱ πληροῦντες ἐκεῖνον, ταῖς μὲν τῆς γῆς ἀρεταῖς προσλαμβάνουσι, τὴν δὲ θάλατταν ἀλλοτριοῦσιν: ἡ γὰρ χοῦς προσπίπτουσα πολλὴ, πληροῖ τὸν πόρον ... ὥστε

11) XI. p. 766.

ὥστε καὶ τοὺς ἐπικειμένους νησίδας ἐξηπειροῦσθαι τὴν δὲ χοῦν καὶ μέχρι παντὸς ποτίμου φορήκειν σταδίων. Atque hoc quidem in decrementum maris majorem vim habuisse crediderim, quam ipsam canalis obstructionem. Quanta enim Nilum, Hoangho et Mississippi fluvios fecisse videmus. Objici nobis forsitan posset, si terra aquis destituta in litoribus maris Caspii fluviorum opus esset, ibi inveniri non posse coenum marinum, conchylia Caspiaca et plantas marinas nec solum salibus fore imbutum. At equidem de ista parte denudatorum litorum circa Sarpa et Manytsch fluvios illud non dixerim, quippe quae recedente mari vacuefacta, limo a fluvio aggesto prorsus non obducta est, sed naturam fundi marini retinuit; imo vero de tractu litorum ipsi mari propiore; is enim uti manifesto e fluviis illabentibus prodiit, tamen vento et fluctibus marinis aqua salsa et conchyliis Caspiacis perfundi poterat. Vel nostra ipsa aetate ostia omnium istorum fluviorum, Volgae praesertim, ne Kumae amnis mentionem

 faciam,

factum, qui prorsus jam obstructus est, tantopere vadosa sunt, ut indies fere navibus oneratis minus fiant pervia; ac pro certo mihi persuasum est, ea, quae ad huc leviter aquis sunt tecta, aliquot saeculis praeterlapsis in continente fore constituta.

Alia vero decrementi hujus maris causa, quamquam haud ita manifesta, non tamen minus efficax, plerosque latuisse video. Cum innumeram fere fluviorum rivulorumque copiam e Caucaso praesertim decurrentium, inter quos praesertim Araxes et Cyrus recensendi, hauriat lacus Caspius: notandum est, hosce fluvios duplici modo, ut ille decrescat, facere. Primum enim ramenta montium secum deferentes, limum et terram in litoribus aggerunt, deinde vero ipsos montes ambedentes sua ipsorum, quibus aluntur, receptacula, alimentum quasi sibi praecidunt, eoque minorem usque aquae copiam mari sensim sensimque subministrare possunt; quo fit, ut omnia fere maria continuo decremento sint obnoxia; quamquam hoc, uti ratio rei postulat, brevi hominis

aetate

petale sentiri vix possit. Accedit quod et ipsum mare, limum terris addendo, decrementum suum accelerat; jam supra enim monuimus, Ghilan et Mazandaran provincias aperte e mari concrevisse. Exhalatione denique maximopere mare Caspium immi- nui necesse est, cum illa calore tantopere adjuvetur, multoque spissior sit, quantum quidem celeberrimi auctores observarunt, quam in Ponto Euxino, qui tamen unus omnium plurimas aquas recipit.

Quapropter, cum mare Caspium undique attereretur, ac circumcideretur, mirandum non est, quod arctioribus finibus, quam quibus nunc utitur, se incluserit. In depressioribus locis remansit omnino aqua marina, unde lacuum istorum ingens numerus, circa utrumque maris Caspii latus. Quaerendum tamen, quo conversa sit ea aquarum copia, quam abundantem olim Pontus in mare Caspium demittere consueverat. Responderim, eam in causa fuisse, ut Bosporus Thracius perrumperetur, quaesito diverticulo, in altera parte sibi negato.

 At

factum, qui prorsus jam obstructus est, tantopere vadosa sunt, ut indies fere navibus oneratis minus fiant pervia; ac pro certo mihi persuasum est, ea, quae ad huc levitate aquis sunt tecta, aliquot saeculis praeterlapsis in continente fore constituta.

Alia vero decrementi hujus maris causa, quamquam haud ita manifesta, non tamen minus efficax, plerosque latuisse video. Cum innumeram fere fluviorum rivulorumque copiam e Caucaso praesertim decurrentium, inter quos praesertim Araxes et Cyrus recensendi, hauriat lacus Caspius: notandum est, hosce fluvios duplici modo, ut ille decrescat, facere. Primum enim ramenta montium secum deferentes, limum et terram in litoribus aggerunt, deinde vero ipsos montes ambedentes sua ipsorum, quibus aluntur, receptacula, alimentum quasi sibi praecidunt, eoque minorem usque aquae copiam mari sensim sensimque subministrare possunt; quo fit, ut omnia fere maria continuo decremento sint obnoxia; quamquam hoc, uti ratio rei postulat, brevi hominis

aetate

aetate sentiri vix possit. Accedit quod et ipsum mare, limum terris addendo, decrementum suum accelerat; jam supra enim monuimus, Ghilan et Mazandaran provincias aperte e mari concrevisse. Exhalatione denique maximopere mare Caspium immi-nui necesse est, cum illa calore tantopere adjuvetur, multoque spissior sit, quantum quidem celeberrimi auctores observarunt, quam in Ponto Euxino, qui tamen unus omnium plurimas aquas recipit.

Quapropter, cum mare Caspium undique attereretur ac circumcideretur, mirandum non est, quod arctioribus finibus, quam quibus nunc utitur, se incluserit. In depressioribus locis remansit omnino aqua marina, unde lacuum istorum ingens numerus, circa utrumque maris Caspii latus. Quaerendum tamen, quo conversa sit ea aquarum copia, quam abundantem olim Pontus in mare Caspium demittere consueverat. Responderim, eam in causa fuisse, ut Bosporus Thracius perrumperetur, quaesito diverticulo, in altera parte sibi negato.

 At

ni; quam multorum fluviorum fontibus alendis mare Caspium occulte largitur; aquarum jactura; ex delato e Caucaso aliisque montibus per rivulos solo atque ex maris spissa exhalatione recte deduci; ipsumque hoc mare, et, qui ejus pars quondam fuit, lacum Aral, iisdem rebus obnoxium, perpetuo, quamquam occulte, decrescere. Quod vel ripae Volgae et Jaik fluviorum magis magisque, in vasta licet planitie, surgentes luculenter docent.

DE
MARI CASPIO

PARS ALTERA.

CAPUT X.

DE FLUVIIS MARIS CASPII.

Monendus est lector, nos ex numerosissima multitudine istorum amnium rivulorumque, quos mare Caspium recipit, eos tantum allaturos esse, qui propter celebritatem aut difficultatem peculiari disquisitione digni esse videantur; simul tamen, secundum ea, quae in superioribus diximus, eos quoque fluvios complectamur, qui aquas suas lacui Aral inferunt, quippe qui pars istius maris fuerit.

Progredientibus in parte orientali maris Caspii, seu Lacus Aral inde a septentrione offertur:

I. *Jaxartes.* Hoc genuinum hujus fluminis nomen esse videtur, melioribus quippe scriptoribus usitatum; a nonnullis

tamen

tamen aliter effertur: PLUTARCHUS in Alexandro eum vocat Ὀρεξάρτην. Minus sibi constat ARRIANUS, qui modo Ὀρξάντην [1]) modo [2]) Ὀξυάρτην eum nominat. Quod emendavit BLANCARDUS, diffisus in constantia ARRIANI; eademque conjectura est Grentemesnilii, ut reponatur Ἰαξάρτης. At dubito AMMIANUM MARCELLINUM [3]) per Araxatem, ex quo altero Oxiam paludem effici scribit, hunc Jaxartem intellexisse, quod multi volunt [4]). Quamquam enim hunc Araxatem et Dymam navium capacissimos nominat, tamen, quia Jaxartes multo propior boream est (ejus enim ostia a Ptolemaeo [5]) in quadragesimo octavo latitudinis gradu, et Dymae in quadragesimo tertio collocantur, Araxatis vero nulla mentio), et quia paullo inferius ipsum Jaxartem inter alios

1) De expedit. Alex. III. 30. 13.
2) VII. 16. 6.
3) Lib. XXIII. c. 6.
4) SALMASII Exercitt. Plin. in SOLINI Polyhist. p. 791.
5) Tab. VII. As. c. 14.

alios fluvios Jaxartarum hominum probe-rum terram irrigantes adfert, neutiquam Araxartes ad Jaxartem transferri potest. Sed quum supra jam demonstratum sit, Oxiana Ammiani paludem non esse lacum Aral, sed minorem quendam ex istis lacubus, qui ibi stagnant, manifestum est, hoc nomen ad ignobiliorem quendam amnem pertinere; qualis et Dymas est, qui Jaxartae miscetur secundum Ptolemaeum [6]), Sainte Croix [7]) nomen hujus fluvii variasque ejus formas ex lingua Mongolorum derivat, quippe in qua Ik magnus, Soerte vero fluvius sit, ut Ik-soerte seu Jaxartes magnum fluvium significet, ejusque opinio confirmatur eo, quod Arrianus [8]) hunc fluvium πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων Jaxartem dici scribit; patet igitur vocabulum esse barbarum nec a Graecis inventum. A Scythis eundem vo-

cari

6) Tab. VII. As. c. 12.

7) In: examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand.

8) Lib. III. c. 30.

eum Silin tradit Plinius 9). Arabibus vocatur Gihun vel Sihun, quod vocabulum, cum rapidum et magnum fluvium denotet, ad varios fluvios translatum esse, infra cum de Oxo sermo erit, videbimus. Earum terris vero accolentibus nuncupatur Sir, neutiquam vero Darja, quod omnino fluvium significat; vocant eum Sir-Darja.

Fontes habet in Imao monte sive Mus-dagh, atque in ea quidem parte, quae dicitur Belur-dagh seu mons niger 10), in quadragesimo latitudinis et nonagesimo quinto longitudinis inde ab insula Ferro descriptae gradu, in orientali Bocharae majoris fine, non vero, quod alii pessime tradunt, supra Taschkent 11). De fontibus Jaxartae, in terra veteribus prorsus ignotae latentibus, alii veterum scriptorum plane silent, alii e Caucaso perperam sic dicto hunc fluvium derivant. Strabo nullam,

quan-

9) Hist. nat. lib. VI. c. 16.

10) Cf. mappae geogr. in Allgem. Hist. der Reisen Vol. VII.

11) Borheck descr. As. tom. II. p. 269.

quantum scimus, fontium mentionem facit; Ptolemaeus vero [12]) eos in quadragesimo tertio latitudinis gradu collocat, quod cum superiori computatione egregie convenit. Jam enim observatum est, Ptolemaeum totam Asiam septemtrionalem tribus gradibus propius boream collocasse, quam par erat. Arrianus [13]) dicit: αἱ πηγαὶ μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου ὄρους αὐτῷ sc. Jaxartae εἰσίν. De quo quidem errore mox pluribus dicemus. In eo tamen consentiunt veteres, eum ex Sogdiorum terra provenire [14]); quae hodie dicitur Al Sogd; Graecis plerumque Sogdiana; Abulfedae vero et Arabibus Mawaralnahar seu Turan; est autem Bochariae majoris orientalis tractus, magnis admodum finibus circumscriptus.

Cursum vero, e fonte suo procedens, primum per convallem Alsogd tenet, quam Abul-

12) Tab. VII. As. c. 12.
13) De expedit. Alex. M. lib. III. c. 30.
14) Cf. Pomp. Mela de situ Orbis lib. III. c. 5 et Strabonis lib. XI. p. 786. Almel.

ABULFEDA [15]) describit. Est octo dierum iter, inde a Bochariae finibus, usque ad fines Albotou, terra plena pascuis, arboribus ac fontibus. Irrigat Jaxartes his primis suis fluentis terram, quam Sacae incolebant, teste STRABONE [16]), καὶ ὁρμηθέντες ἀπὸ τῆς περαίας τοῦ Ἰαξάρτου τῆς κατὰ Σάκας καὶ Σογδιανοὺς, ἣν κατεῖχον Σάκαι aliique ignobiliores populi, communi vocabulo Daae dicti. Inde illustrandus DIONYSII PERIEGETAE locus [17]): τὸν (Oxum intell.) μὲν ἐπὶ προχοῇσιν Ἰαξάρταο νέμονται Τόξα Σάκαι φορέοντες. Hoc loco "προχοαὶ neutiquam sunt ἐκρύσεις τῶν ποταμῶν [18]), sed omnino fluenta Jaxartae denotantur. Sequitur cursum suum Jaxartes versus occasum, multis quidem diverticulis modo in orientem, modo in septen-

15) In descript. Chorasm. et Mawar. HUDS. geogr. tom. III.

16) Lib. XI. p. 779. ALMEL.

17) V. 749.

18) Cf. HESYCH. s. h. v.

tentrionem deflectens [19]), ac finem borealem Persici imperii constituit; omnis trans Jaxartem regio Scythica dicebatur Turan seu Nomadum terra, hodie Turkestan, nentiquam tamen deserta, imo vero multis amnibus irrigua et arborum frugumque feracissima, nec urbibus inops est, quarum nobilissimae in ipsis Jaxartae ripis [20]) sunt: Kogand, Taschkent, Tonkat, Otrar et, inter Jaxartem et Oxum, celeberrimum emporium Maracanda sive Samarcand. Antiquis autem temporibus, florentibus Persarum rebus, ad ripas Jaxartae sita erat Κυρούπολις seu Κυρέσχατα seu τὰ Κύρα, ἔσχατον ὂν Κύρου κτίσμα ἐπὶ τῷ Ἰαξάρτῃ ποταμῷ κείμενον, ὅπερ ἦν ὅριον τῆς Περσῶν ἀρχῆς, urbs celeberrima [21]), eadem tamen propter crebras defectiones ab Alexandro aversa. Sed cum multas urbes Cyrus in Sogdianis condiderit, dubitant viri docti, an

19) Cf. ABULFEDA c. l.
20) Cf. Allgem. Hist. d. Reisen VII. p. 349.
21) STRABO. XI. p. 787.

an una eademque urbs sit Κυρούπολις et Κυρέσχατα [22]). Quid? quod vel cum Maracandis eandem urbem esse putaverunt [23]). Quo quidem pacto hoc factum sit, nescio, cum PTOLEMAEUS, STRABO [24]) omnesque ceteri scriptores diversam faciant utramque urbem, illamque in ripis Jaxartae collocent. ARRIANUS dicit [25]): ἐνθένδε sc. Maracandis, ἐπὶ τὸν Τάναϊν, Jaxarten, ποταμὸν προῆει. Cui tamen obstare videtur locus ARRIANI [26]), ubi Alexandri milites, Cyropolim obsidentes, per exsiccatum fluvii, ὃς διὰ τῆς πόλεως χειμάῤῥους ὢν διέρχεται, alveum urbem intrasse narrat. At enim neque χειμάῤῥους est Jaxartes, nec verisimile videtur, Jaxartem usque eo exsiccari posse, ut militibus gravis armaturae transitus pateat. Forsitan hac difficultate permotus est Cellarius [27]), ut Cyropolim

22) Cf. ALL. orb. antiq. tom. III. c. 21.
23) Cf. GATTERER Weltg. II. 11.
24) Cf. tab. VII. As.
25) III. 30. 13.
26) Lib. IV. c. 23.
27) Orb. antiq. III. 21.

lim ad fontes Jaxartae contra omnium auctoritatem removeret. Noſtrum non eſt, hanc de ſitu urbis Κυρουπόλεως litem componere, ac fortaſſe omnino dirimi non poteſt, cum de regione parum cognita agatur. Multas praeterea urbes, teſte STRABONE[28]), evertit Alexander, conditas a Cyro; multas idem exſtruxit inprimisque Alexandriam ad Tanaim ſive Jaxartem[29]); quae quidem opibus non admodum floruiſſe videtur. Omnino vero, cum Κυρούπολις ſive Κυρέσχατα ſeu τὰ Κύρα opulentiſſima urbs dicantur, unam eandemque eſſe crediderim propterea, quod in tam longinqua regione, incolis haud magnopere frequentata, vix tres urbes tantam celebritatem nancisci poterant, ſed ea certe ſola, quae haud ita procul a Maracandis diſſita, ad mercaturam in ſeptentrionales regiones faciendam quam maxime apta erat: Cyreschata, cujus ſitus

28) XI. p. 787.
29) ARR. IV. 1.

situs secundum PTOLEMAEUM [30]) lat. 43° 40′, ex noto errore, cum hodierna urbe Kogant optime congruit, collocata sub gradu quadragesimo primo latitudinis, octogesimo sexto longitudinis inde ab insula Ferro [31]). Emporium ad ripas Jaxartae in Mawaralnahra, nomine Toncat, in tabula ULUG-BEIGHI [32]) et NASSIRI EDDINI ETTUSAEI latitudinis gradum quadragesimum tertium cum viginti quinque minutis habet; quod etiam cum hodierno ejus situ convenit. Lat. a Ferro 87°, 30′, apud Arabes 101°. Taschkent longit. 87° lat. 43°. Otrar long. 85° lat. 44°. Hae urbes ad Jaxartem sitae; reliquae vero, quas Arabes afferunt, Corcany sive Aljorjanyiah sedes regis Chowarezmiae long. 94° 30′ lat. 42° 17 Cath long. 95° lat. 41° 36 ad Jaxartem non pertinent, sed ad Oxum potius inque Chowarezmia sive Karazm sitae sunt.

Inde

30) Tab. VII. Asiae.

31) Cf. insuper CURT. lib. VII. c. 6. 16. ibiq. FREINSH., SALMAS. exerc. PLIN. p. 1193.

32) HUDS. geogr. tom. III.

Inde vero ab urbe Cyropoli sive Κυρέσχατα, hodie Kogent, cursum versus septentrionem flectit usque ad urbem Toncat; hinc paullulum versus septemtrionem declinans ad lacum Aral tendit, ad dextram habens Massagetas, quorum sedes nunc Turcomanni tenent et Karacalpaci; antiquis communi vocabulo Scythae nuncupati; postremo terram Chorasmiorum permeat, ac prope ostia nomen Kuban nanciscitur.

De Ostiis vero Jaxartae ingens antiquitatis cum recentiori aevo est lis. Scilicet veteres auctores usque ad Arabes ad unum omnes mari Caspio illabi hunc fluvium tradunt, idemque quinto et sexto nostrae aerae saeculo creditum est, summa istarum regionum ignorantia; solus Arabes veritas non latuit. Nostris quidem temporibus, quamquam eae regiones, quas permeat, nobis satis sunt ignotae, constat tamen hunc fluvium in lacum Aral insundi, latitudinis gradu quadragesimo quarto seu quinto [33), long.

33) OLEAR. Reis.

long. septuagesimo nono inde ab insula Ferro. PTOLEMAEUS 34) long. 97°, lat. 48°; quod, si tres illos gradus errore a Ptolemaeo additos detraxeris, bene in nostram computationem quadrat. Sed supra jam totam hanc de ostiis Jaxartae disputationem, cum disquisitione de lacu Aral et mari Caspio arctissime cohaerentem, absolvimus, unde hic repetere nihil attinet. Vera hujus fluvii ostia diutius incognita mansissent, nisi Petrus I. Russorum imperator eum auri ramenta ferre audivisset; eoque ad veritatem investigandam incitatus esset.

Miscentur cum Jaxarte minores quidam amnes: Dymus, sive, ut AMMIANUS MARCELLINUS 35) scribit, Dymas, ex quo altero Oxia palus efficiatur; ejus mixtio cum Jaxarte secundum PTOLEMAEUM 36) sub 123° longitudinis, 47° latitudinis gradu. Alter Bascatis miscetur cum Jaxarte 121° longitudinis, 44° latitudinis gradu. Cum noster

34) Tab. VII. c. 14. As.

35) 23. 6.

36) Tab. VII. As. c. 12.

noster vero istum inter eos amnes adferat, qui ex Norosso monte decurrentes a septentrionali latere Jaxartae miscentur, cumque tantopere in orientem eum removeat, hunc Dymum et Bascatim ad eos minores rivulos retulerim, qui prope Aderkand et Khojend Jaxartae infunduntur; quorum priori nomen Jargan inditum esse invenio [37]. Sed e monte Norosso, quem PTOLEMAEUS secundum longitudinem inde a nonagesimo septimo usque ad centesimum sextum longitudinis, secundum latitudinem vero inde a quinquagesimo secundo usque ad quinquagesimum tertium latitudinis gradum porrectum esse scribit, tum Daix fluvius, tum alii amnes decurrunt, qui Jaxartae se miscent, quorum nomina, fontes et cursum nondum satis perspectos habemus.

Non tamen praetereunda est notissima ista scriptorum Alexandri M. de Caucaso et Jaxarte opinio, qua decepti Imaum et Paropamisum pro Caucaso habuerunt, et Jaxar-

37) Allgem. Hist. d. R. VII. p. 349.

Jaxartem pro Tanai [38]). STRABO rem bene explicat [39]): Τὰ δ' ὄρη Μακεδόνες μὲν ἅπαντα τὰ ἐφεξῆς ἀπὸ Ἀρίων Καύκασον ἐκάλεσαν [40]). Hinc apud ARRIANUM [41]): ὁ δὲ Ὦξος ῥέει μὲν ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Καυκάσου, et [42]) de Jaxarte: αἱ πηγαὶ μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου ὄρους καὶ αὐτῷ εἰσίν. Idem [43]) scribit Alexandrum urbis ad Tanaim condendae cepisse consilium, ubi Jaxartes intelligitur. ARRIANUS autem, ut in ceteris, quae ad historiam Alexandri M. spectant, fide dignissimus, ita geographiae quoque plerumque peritissimus, Tanaim Macedonum sive Jaxartem, diversum esse a Tanai, qui in Maeotim exit, bene cognoverat [44]). Ἄλλος δ' ἂν εἴη Τάναϊς, ὑπὲρ ὅτου λέγει ὁ Ἡρόδοτος ὁ λογοποιὸς, ὄγδοον εἶναι τῶν ποταμῶν τῶν Σκυθικῶν

Τάναϊν

38) Cf. PLIN. VI. c. 16.
39) XI. p. 778.
40) Cf. PTOL. tab. VII. As.
41) De exp. Alex. lib. III. c. 29.
42) C. 30.
43) Lib. IV. 1.
44) III. 30. 11.

Τάναϊν, καὶ ῥέειν μὲν ἐκ λίμνης μεγάλης ἀνίσχοντα, ἐκδιδόναι δὲ εἰς λίμνην ἔτι μείζω τὴν καλουμένην Μαιῶτιν· καὶ Τάναϊν τοῦτον εἰσὶν οἱ ὅρον ποιοῦσιν τῆς Ἀσίας καὶ τῆς εὐρώπης [Notandum vero, ARRIANUM hic non accurate dicere: "εἰσὶν οἱ ποιοῦσιν", quum ad unum omnes fere antiquitatis auctores Tanaim terminum inter Asiam et Europam constituant. Apponamus quaedam loca classica, quae passim notavimus, si quis iis opus haberet [45]). Usque ad aetatem HERODOTI, cum ipse Tanaïs admodum esset incognitus, Phasin hodie Rion, ex provincia Imirette in confiniis provinciarum Guriel et Mingrel in Pontum profluentem, Colchidis fluvium, inde ab Argonautarum tem-

45) STRABO XI. 754. 752. et in init. lib. II. 191. lib. VII. 477. HEROD. 4. 45. PLIN. 4. c. 12. CURT. lib. II. c. 14. SCYLAC. CARYAND. peripl. MARCIAN. HERACLEOTAE peripl. lib. I. init. Anonymi peripl. Pont. Eux. HUDS. geogr. I. AGATHEM. comp. expos. geogr. lib. II. c. 2. HUDS. geogr. II. DIONYS. PERIEG. v. 14. Huss. 4. CURT. de reb. gest. Alex. lib. VI. c. 2.

tempore celeberrimum, etiam tragicis poetis decantatum [46]) terminum Asiae et Europae constituebant]. Contra vero QUINTIUS CURTIUS et hac in re summae levitatis et incuriae accusandus, cum [47]) scribit: "Bactrianos Tanais a Scythis, quos Europaeos vocant, dividit. Idem Asiam et Europam finis interfluit". Pessima confusio! Triplicem hic errorem commisit Q. CURTIUS; primum enim aperte commutat utrumque Tanaim, verum istum Maeotidis, Don fluvium, cum Macedonico Tanai sive Jaxarte. Deinde Tanais falso sic nuncupatus non Bactrianos sed Sogdianos, ut supra monstravimus, a Scythis dirimit. Bactriana enim cis Oxum sita. Quare et hoc falsum, quod postea [48]) dicit: haec circa Bactra et Scytharum terminos gesta. Qui denique turpissimus error est, Bactrianos Scythis Europaeis vicinos facit. Similiter Cauca-

46) AESCHYL. Prometheus vinctus v. 417. ibiq. Schol. HEROD. IV. 45.
47) Lib. VII. c. 7.
48) Lib. IX. c. 7. 11.

Caucaſus a Macedonibus in Indiam tranſlatus [49]). DIONYSIUS BRIEGETA [50]) canit: Ἰνδὸς ἀρξάμενος ἀπὸ Καυκάσου ἠνεμοέντος. Sunt vero, qui putent, hoc a Macedonibus conſulto admiſſum eſſe, ut Alexandro gratificarentur, ejusque gloriam augerent, quippe qui arma ſua victricia usque ad Tanaim et Caucaſum tuliſſet. Declaratur haec res luculentius et confirmatur ipſius STRABONIS teſtimonio [51]) τὸ μεταξὺ τῆς (ſc. Κασπίας) θαλάττης καὶ τοῦ Ταναΐδος πολὺ μέρος τῆς Ἀσίας ὂν, οὐχ ὑπέπιπτε τοῖς Μακεδόσι· στρατηγεῖν ἐγνώριστο. ὥστε τῇ φήμῃ γε κἀκείνων δόξαι τῶν μερῶν κρατεῖν τὸν Ἀλέξανδρον. Attamen equidem plurimum hac in re ſummae rerum geographicarum iſtius plagae ignorantiae tribuendum crediderim. Vix enim veroſimile videtur, tantum valuiſſe

49) CURT. lib. VII. c. 3. DIOD. SIC. lib. 17, c. 5. ibiq. WESSEL. POLYB. 10, 48. ibiq. SCHWEIGH. SOLIN. c. 52. ibiq. SALMAS. MARTIANUS CAPELLA lib. VI. p. 223.

50) V. 1090.

51) XI. p. 772.

luisse hominum assentatorum commenta ad veritatem opprimendam, si vel levissimam Alexander ejusque comites de situ locorum habuissent notitiam, alioquin insana eorum erat adulatio; multo majorem enim gloriam afferebat Alexandro Indiam, Imaum et Paropamisum victorem peragrasse, quam Caucasi Tanaïdosque vicina suae ditioni adjecisse. Sequitur.

II. *Jastus.* Ignobilis amnis, nec apud auctores antiquos, praeter PTOLEMAEUM [52]) facile obvius. Ostia ejus PTOLEMAEUS collocat long. 100°, lat. 47° 20', quadraginta igitur minutis propior meridiem est Jaxarte sive decem milliaribus geographicis. Recta via tendit versus orientem in mare Caspium. Memoratur quoque Jastorum populus PTOLEMAEO, sed ponitur remotius versus septentrionem ultra Jaxartem; ut ab austro terminetur Norosso monte, ab oriente Aspisiis, ab occidente Rhymmicis montibus, a septentrione terra incognita. Quare huic rivulo cum populo Jastorum nil adfinitatis inter-

52) Tab. VII. As. c. 14.

intercedere videtur. Hic fluvius, si adhuc exstaret, lacu Aral hauriretur, sed nullum prorsus, quantum scimus, ejus vestigium superest. Sequitur

III. *Polytimetus.* Ejus mentio fit apud omnes, qui de rebus gestis Alexandri M. scripserunt. Inter Jaxartem, seu potius Jastum et Oxum, mare Caspium, seu hodie lacum Aral, subit, secundum PTOLEMAEUM [53]) long. 103°, lat. 45° 30′ [54]). Profluit autem ex regione, supra Maracandam lat. 40°, long. 86° ex confiniis Sogdianae sive Mavaralnahrae per Chorasmios seu Chowarezm vel Karazm. Audiamus testimonia praecipuorum quorundam auctorum de hoc flumine inprimis STRABONIS [55]): τὸν μὲν διὰ τῆς Σογδιανῆς ῥέοντα ποταμὸν καλεῖ Πολυτίμητον (ex emendat. CASAUBONI, qui corruptissimum locum restituit) Ἀριστόβουλος τῶν Μακεδόνων θεμένων (sc. τοὔνομα) ἄρδοντα δὲ τὴν χώραν· ἐκπίπτειν

53) Tab. VII. Af. c. 14.
54) Cf. CELL. Orb. antiq. tom. III. c. 21.
55) XI. 787.

πίπτειν εἰς ἔρημον, καὶ ἀμμώδη γῆν, καταπίνεσθαί τε εἰς τὴν ἄμμον, ὡς καὶ τὸν Ἄριον τὸν δι' Ἀρίων ῥέοντα. A quo CURTIUS, quod nomen certe adtinet, discrepat, cujus haec verba sunt [56]) "per quam, sc. Sogdianam, amnis, Polytimetum vocant incolae, fertur torrens. Eum ripae in tenuem locum cogunt; deinde caverna accipit, et sub terram rapit. Cursus absconditi indicium est aquae meantis sonus". Omnes in hoc offendunt, quod CURTIUS hunc fluvium ab incolis barbaris graeca voce appellatum esse scribit. Equidem CURTIUM tantae ignorantiae seu ineptiae potius accusare nolim, ut vocem Πολυτίμητος pro barbara habuisse eum dicam; nec, ut haec lis dirimatur, ad sententiam RADERI [57]) confugiendum, qui incolas istos vult esse graecos colonos Alexandri aetatem subsequutos, "Alexandrum enim in ista regione sex urbes Graecis potissimum habitatas exstruxisse. Verosimillimum mihi videtur, illud

56) Lib. VII. c. 10.

57) Comm. in CURT. VII. 10. 2.

Ind Πολυτίμητος nomen fluvii esse e barbara lingua in graecam versum, cum vox ipsa non primitiva sed adpellativa potius sit. Sic nostratibus Sinarum fluvius vocatur: flumen flavum, cui proprie nomen Hoangho, et alia ejus modi innumera occurrunt in geographia. Quantus vero Polytimetus fuerit ex ARRIANO [58]) discere licet, qui in ceteris prorsus cum utroque auctore consentiens, de magnitudine ejus ita loquitur: ἀφανίζεται δὲ, καίπερ πολλοῦ ὢν ὕδατος, εἰς τὴν ψάμμον et mox adfert alios fluvios terram subeuntes, Epardum in terra Mardorum, Arium in Acia et Erymandrum apud Evergetas, quorum nullus magnitudine inferior sit Peneo in Thessalia; dein pergit: ὁ δὲ Πολυτίμητος πολὺ ἔτι μείζων ἢ κατὰ τὸν Πηνειὸν ποταμόν ἐστι.

Jam vero quaeritur, quis sit hic fluvius, quem quidem e superficie terrae evanuisse neutiquam verosimile videtur. Equidem Kisil-Daria sive Kesel, ut alii scribunt, esse

58) Lib. IV. c. 6.

esse putem, cujus cursus et magnitudo prorsus cum iis convenit, quae de Polytimeto narrantur. Ortus quippe haud ita procul ab urbe Kogend sive Κυρέσχατα seu Cyropoli, mediam fere Mawaralnahr permeat; deinde per Chowarezmiam sive Karazm delatus lat. 42° in lacum Aral infunditur, quod egregie cum calculo PTOLEMAEI convenit, qui, consueto errore, tribus circiter gradibus propius boreae eam admovet. Litora ejus in Mawaralnahr etiamnum amoenissima. Kisil nuncupatur ab Usbecis [59]. Hoc unum, quod terra hauriri dicitur Polymetus, in fluvium Kisil-Daria non quadrat, saltem hoc de eo, quantum scimus, nusquam proditur, nisi a JENKINSONIO [60]. Is enim scribit, Oxum nunc a mari Caspio aversum, fluvio Ardock seu Khesel, prope oppidum Tuk, sive Tok fluenti, commisceri, eundem vero Ardock per quinquaginta milliaria anglica subter

terra

59) Cf. Allgem. Hist. d. R. tom. VII. p. 243.
60) Cf. ejus itinerar. ap. HAKLAIT. tom. I. p. 333.

terra labi. Istum fluvium Ardoek vero esse amnem Khesel ex eo patet, quod ad urbem Tuk fluit, et quod JENKINSONIUS, postquam in flumine Oxo centum milliaria anglica navigarit, flumen Ardock satis magnum se trajecisse dicit: sed in his atque similibus non est, quod haereamus, quum plerumque, nisi mera figmenta, certe male et perverse tradita esse soleant, ut luculentissima in disputatione de Oxo exempla docebunt. Sine dubio iste lapsus sub terram nihil est, nisi summa extenuatio fluminis in desertis istis arenosis prope lacum Aral, nec "aquae sub terra fluentis sono", quem QUINTUS CURTIUS audiverit, contrarium evinci posse putaverim. Sequitur:

IV. *Oxus*. Nomen hujus fluvii varie scribitur; nunc Ὦξος, nunc Ὄξος, idque apud unum eundemque auctorem v. g. apud ARRIANUM [61]). STRABO Ὄξος, PTOLE-

MAEUS

61) ARRIANUS lib. III. 28. 29. 30. lib. IV. 15 et alibi passim scr. Ὦξος. lib. VII. 10. 16. scr. Ὄξός.

MAEUS Ὦξος scribit. Sunt, qui hoc contractum putant ex Ὄαξος, probantque hoc ex illo versu VIRGILIANO [62]. "Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem". Quum enim jure offenderent viri docti in hoc, quod post Scythiam, Africam et "toto divisos orbe Britannos" Cretae insulae per obscurum, nec ulli praeter Vibium Sequestrem memoratum,, fluvium adumbratae mentio fiat: crediderunt scribendum esse Oaxum, dictum pro: Oxum, et paullo durius jungunt, rapidum cretae i. e terram albam sive limum secum rapientem, quod de Oxo recte dici potest, uti infra locis classicis probabimus. Sed cum nullum omnino apud veteres auctores graecos exemplum sit, Oxum etiam Oaxum scribi, auctoritatem Romani hominis sequi nolim, VIRGILIUMQUE potius inconsiderate loquutum esse crediderim [63]. Celeberrimo vero apud recentiores vocatur Arabico nomine

Gihun,

62) Ecl. I. 66 ibiq. HEYNE.

63) SALMASII exercit. PLIN. in SOLIN. Polygh. et BOCALIUM s. v. Oaxis, v. Oxus.

Gihun, vel Gihon, nec ABULFEDA et ABULGASIKHAN eum aliter vocant [64]). Cavendum tamen, ne quis eundem semper fluvium Oxum hoc nomine indicari credat; jam supra enim vidimus Jaxartem quoque eodem vocabulo insigniri. Praeterea ad alios quoque fluvios hoc nomen, quod rapidum fluvium denotat [65]), translatum est [66]); nam Nilus [67]), orientale Tigridis brachium [68]), Araxes [69]) et Orontes [70]) communi nomine Gihon appellatos esse, verisimillimum videtur. A Persis vero et Usbe-

64) Descr. Chowaresm. et Mawaraln. HUDS. geog. III.

65) HARTMANNS Aufklärungen über Asien I, p. 259.

66) Cf. ROSENMULLERI Schol. ad Genes. II, 13.

67) JOSEPH. Ant. I. 1. 3.

68) HUETIUS differt. de situ Paradisi terrestr. c. 12.

69) RELANDUS de situ Par. terr. p. 32. Pars I. diss. misc.

70) CLERIUS Comment. ad Genes. II. 13.

Usbecis [71]) vocatur Amu, nec non Harrad. Illo nomine nuncupatur etiam apud ABULFARADSCH. Aliud hujus amnis nomen adfert ABULFEDA [72]) ex auctore quodam ALLABAB, ubi legitur: Tarmed antiqua urbs ad extremum fluvii Balch, qui et Jihun adpellatur; haec urbs Tarmed vero sita est sub gradu lat. 37°, 30′ et long. 85° 30′ ad Oxum. Quod nomen nactus est amnis a provincia Balch sive Bactriana, cujus fines alluit. Apud TAVERNIRIUM tamen nomen Oxi fluminis: Rud-Khane Kurkan [73]), ceteroquin nemini memoratum, invenimus; dicit enim ad hunc usque fluvium Esterabad provinciam sive Margiana pertingere. Aliud denique nomen prorsus obscurum a Tartaris huic flumini inditum Oguz, ex auctore quodam geographico in lucem protulit SAINTE-CROIX [74]). Nomen auctoris, cujus geographia Turcica

71) Allgem. Hist. d. R. Vol. VII. c. 5.
72) Descr. Chowar. et M. cl.
73) Persian. R. lib. IV. c. I.
74) Examen des anciens historiens etc.

ea [75]) adhuc in thesauris bibliothecae Parisiensis condita jacet, proditur Kiatib-Chelebi.

Fontes habet in eodem isto montium jugo, unde et Jaxartes procurrit, sc. in monte Imao seu Musdagh sive Paropamiso, quippe uterque continua serie montium [76]) jungitur, atque in ea quidem Imai parte, quae propter nebulas et caligines ab incolis dicitur Belur-dag seu mons niger, in orientali fine Bochariae majoris [77]) et septentrionali termino inclytae terrae Kaschmir. Clima fontium est lat. 38°, long. 93° inde ab insula Ferro. Secundum PTOLEMAEUM [78]) long. 119° 30′, lat. 39°. Videmus hic PTOLEMAEUM minus sibi constare, alioquin fontes Oxi, in 42° circiter gradu fuissent collocandi. Derivat autem Oxum a montibus ἰδίως καλουμένοις Καυκασίοις, qui, in confiniis

75) P. 822.
76) STRABO XV. p. 1010.
77) Cf. BORHEC. tom. II. p. 279.
78) Tab. VII. As. c. 12.

confiniis Bactrianae et Sogdianae siti, partem Imai seu Paropanisi, ut scribit PTOLEMAEUS, efficiunt. Hi omnes ad immane istud jugum Tauri pertinent. Quare in hoc non offendendum, si et alii scriptores fontes ejus in Caucaso collocant, uti POLYBIUS [79]: ὁ γε Ὦξος ἔχει μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου τὰς πηγάς et ARRIANUS, errore Macedonico [80]: ὁ δὲ Ὦξος ῥέει μὲν ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Καυκάσου. Aliter DIONYSIUS PERIEGETA [81]: ὅστε sc. Oxus, λιπὼν Ἠμωδὸν ὄρος μετὰ Κασπίδα βάλλει. De Emodo monte ipse dicit [82]: τῶν ὑπὸ πέζαν Ἕλκεται ἠερίοιο μεγὰς ῥόος Ὠκεανοῖο. At ex STRABONE [83] patet, varia tantum illa esse ejusdem jugi nomina, inde ab Ariana usque ad Oceanum Indicum: ἀπὸ δὲ τῆς Ἀριανῆς μέχρι τῆς ἑώας θαλάττης, ἅπερ οἱ ἐπιχώριοι κατὰ μέρος Παροπάμισόν τε καὶ Ἠμοδὸν καὶ Ἴμαον καὶ ἄλλα ὀνομά-

79) Lib. X. c. 481
80) III. 24.
81) V. 748.
82) V. 1162.
83) Lib. XV. p. 1010.

ὀνομάζουσι. Μακεδόνες δὲ Καύκασον; et paullo inferius [84]) Hydaspen et Acesinem ex Emodo monte derivat [85]).

"Cursum vero primum tenet per medium Bochariam et eam quidem provinciam, quam dicunt Khotland, usque ad urbem Tarmed, de cujus situ jam supra secundum ABULFEDAM exposuimus. Atque huc quidem referendus est locus STRABONIS [86]) de Oxo fluvio, ὃς ὁρίζει τήν τε τῶν Βακτρίων καὶ τῶν Σογδίων. Bactriana igitur terminatur a septentrione Oxo fluvio: sequitur Sogdiana, versus septemtrionem a Nomadibus separata Jaxarte. PTOLEMAEUS vero primum hoc Oxi stadium inde a fontibus usque ad urbem Tarmed, sive paullo ulterius progredi vis, usque ad Bactram vel Zariaspem, quam PTOLEMAEUS dicit, urbem, nobis Balch, pessime descripsit. Cum enim fontibus exorsus statim ad meridiem pergat,

84) P. 1023.
85) Cf. PLIN. hist. nat. lib. VI. c. VI.
86) XI. p. 786.

Mjorjaniyah, sedes regis Chowarezmiae, sub gradu longit. 94° 30′ lat. 42° 17′. Cujus quidem vix ullum vestigium superesse videtur. Memoratur istis Arabibus et alia urbs nomine Cath sita longit. gr. 95°. lat. 41° 36′. Quam et hodie in tabulis geographicis inscriptam videmus ad ripas Oxi. Hodie quidem caput provinciae Chowarezmiae est Chiwa, neutiquam ad Oxum sita. Notandum vero longitudinem Arabum non a Ferro insula esse descriptam, sed quatuordecim vel quindecim gradus propiorem occidenti incipere.

Dicendum nunc de ostiis Oxi; de quibus non solum eadem quae de Jaxarte discordia inter veteres et recentiores, sed insuper nostra aetate quidam omnem de Ostiis Oxi et Polytimeti, quem Kisil Daria esse supra conjecimus, rationem perturbarunt. Ac primum quidem hoc constat, in tota antiquitate nullum esse auctorem, qui non Oxum in mare Caspium derivet; nec obscuris hoc, ut in Jaxarte, sed manifestissimis argumentis fulciri videtur. Aristote-

les

LES et ERATOSTHENES, PATROCLIS auctoritatem sequuti [92]) adfirmant: πολλὰ τῶν Ἰνδικῶν φορτία κατάγειν εἰς τὴν Ὑρκανίαν θάλατταν· ἐντεῦθεν δ' εἰς τὴν Ἀλβανίαν περαιοῦσθαι, καὶ διὰ τοῦ Κύρου καὶ τῶν ἑξῆς τόπων εἰς τὸν Εὔξεινον καταφέρεσθαι. Eandem mercium ex India in Pontum devehendarum rationem adfert PLINIUS [93]) his verbis: "Adjicit idem, sc. Varro, Pompeji ductu exploratum, in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat: et ex eo per Caspium in Cyrum subvectas, quinque non amplius dierum terreno itinere ad Phasim in Pontum Indicas posse devehi merces". SOLINUS [94]) perverse hunc locum intellexit, quasi Pompejus ipse ex India in Pontum profectus esset [95]). Quid? quod hisce recentiores quidam adstipulari videntur [96]), in

92) STRABO XI. p. 776. adf.
93) Lib. VI. c. 17.
94) C. 28.
95) SALMASII Exercit. PLIN. p. 216.
96) OLEAR. Reisen. lib. IV. c. 26.

in primis pater Avrilius[97]), qui e mari Caſpio per antiquum Oxi alveum Bocharam urbem ſe perveniſſe ſcribit, quae urbs Bochara ad eundem amnem, quo et Samarcand, in Oxum ſe infundentem ſita ſit, cui nomen Sogd. At inextricabili fere errore impedita ſunt ea, quae partim ex Jenkinsonii, partem ex Petri primi imperatoris, cujus juſſu iſtae regiones exploratae ſunt, auctoritate afferuntur[98]), expedienda tamen, quantum fieri potuerit, quoniam de oſtiis Oxi et Polytimeti mutatis agunt. Tradunt Oxum fluvium, ſeptuaginta *milliaria* anglica ante oſtium, in duo brachia abire, quorum laevum, meridionale cogita, verſus Aſtarabad in mare Caſpium deferatur, in ſinum ſcilicet Balcaan; aliter enim fieri non potuit, niſi hoc meridionale Oxi brachium transverſum per flumen Ochum, de quo

97) De quo vide Cap. I. et cf. Beckmann Litterat. der älteren Reiſebeſchr. Band II. Stück 2.

98) Cf. Jenkins. itiner. c. l. cf. Allgem. Hiſt. d. R. tom. VII. p. 243 et ſeq.

quo suo loco, cursum tenuisse volueris. Quare insani sunt, qui hoc brachium in sinum borealem Manguslave; septemtrionale vero Oxi brachium in Balkaan sinum meridionalem derivant. Narratur porro: alterum Oxi canalem urbem Urjenz praetereuntem, borealem cogita, duodecim milliariis ulterius versus septentrionem in mare Caspium esse delatum. Hoc ipsum vero septentrionale brachium, secundum id quod tradunt, ante hos centum quinquaginta annos, cursum suum mutavit. Aquae enim canalem urbem Urjenz attingentem, jam antequam hanc urbem alluerent, destituerunt, junctaeque cum fluvio Kizil-Daria in lacum Aral abierunt, ut canalis iste exsiccatus remaneret et urbs Urjenz commercio destituta, situ et ruinis obrueretur. Hunc vero canalem urbis Urjenz in sinum Sellizure exiisse crediderim, nisi minimum spatium duodecim milliariorum, quod interesse volunt inter utrumque brachium, obstaret. De mutato vero Kizil-Daria fluvii cursu etiam hoc proditur: Cum Petrus I. Imperator

tor Jaxartem sive Sir-Darja fluvium auri ramenta secum ferre audivisset, lucri simul cupidine incitatus, et ut mercaturae novam viam aperiret certos homines misit, qui inde ab ostiis Yemba fluvii, litus maris Caspii perquirerent. Isti vero, postquam inde ab ostiis Yemba fluvii usque ad Oxum sive Amu nullum fluvium mari Caspio praeter istum Kizil-Daria misceri invenissent, communi isto apud Usbecos fluviorum vocabulo, Daria, decepti, hunc Kisil-Daria Jaxartem, quem quaerebant, esse crediderunt, idque nunciatum ad Imperatorem retulerunt. Interim vero circumhabitantes Tatari, ne Russos haberent vicinos, fluvium Kizil-Daria in tres canales diductum inde a mari Caspio in lacum Aral derivarunt, ut cum Russi duce Beckowitz redirent, ostium Kisil-Daria obstructum et prorsus exsiccatum invenirent. Quis vero non videt, haec omnia sibi repugnare? Cum enim jam ex ABULFEDAE descriptione Chowarezmiae et Mawaralnahrae 99) constet:

Jihun

99) HUDS. geogr. III.

Jihun seu Oxum in Lacum Chowaresmiae i. e. Aral exire, cum hoc adfirmet JENKINSONIUS [100]), qui Oxum in lacum provinciae Kitay influere scribit, cum idem denique de boreali certe Oxi fluvii brachio contendatur: qui, quaeso, unquam fieri potuit, ut Kisil-Daria per Oxum transversus in mare Caspium ferretur? Ista enim BECKOWITZII auspiciis suscepta expeditio, ineunte demum praeterlapso seculo, ante hos centum annos, facta est. Neque tamen hoc credendum est, istos cum BECKOWITZIO litus Aral lacus pro Caspio habuisse; alioquin ostium Sir-Daria fluvii vere invenissent. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin in ipso flumine Kisil-Daria decepti sint, atque ignobilem quendam brevissimum cursu amnem pro eo habuerint; quod vel ex brevi tempore patet, quo Tatari cursum ejus animadvertere, et alveum obstruere potuerunt. Kizil-Daria certe, uti et Jaxartes, nunquam mare Caspium attige-rit.

100) Cf. p. 64.

rit. Minime vero idem de Oxo contenderim, imo vero meridionale Oxi brachium, quod urbem Urjenz praeteribat, olim mare Caspium attigisse haud incredibile videtur. Largissimo, quem, uti mox adparebit, Oxus vehit, limo facillime effici potuit, ut pars ista in mare Caspium tendens obstrueretur, et aquae sibi ad lacum Aral novam viam munirent, imo cum Polytimeto sive Kizil-Daria miscerentur, qui proprio alveo ad lacum Aral tendit. Abulfeda vero, si Oxum in lacum Chowaresmiae deferri scribit, de septemtrionali tantum brachio loqui censendus est. Quodsi ita res sese haberet, uti verisimillimum videtur, novum hoc esset argumentum: lacum istum Aral jam dudum exstitisse, nec ab Oxo et Jaxarte demum esse effectum. Hoc vero ipsum extra omnem dubitationem positum est, meridionale Oxi fluvii brachium ad mare Caspium olim pertinuisse. Supersunt enim hodieque pristini hujus alvei vestigia, qui ex Oxo usque ad sinum Balkaan pertingebat, eumque vocant incolae Rud-Khane-

Kurkan,

Kurkan, i. e. fluvium luporum, idemque est, cujus nomen, ut supra vidimus, TAVERNIRIUS [1]) ad totum Oxum refert, et quem borealem terminum provinciae Asterabad seu Margianae facit. Scio equidem virum summa et ingenii et doctrinae laude clarissimum PETRUM SIMONEM PALLAS hunc alveum regressi maris Caspii vestigium dicere [2]); at in toto maris Caspii circuitu, quamquam ubique fere, ut supra demonstratum est, aqua maris recesserit, suique vestigia reliquerit, nusquam tamen invenies talem alveum, qui non fluvii cujusdam meatus manifestus fuerit, ut iste exsiccatus Pod-Kuma. Contra vero pro eo certant incolarum testimonia et Patris AVRILII, qui, quamquam multa haud magna fide digna habeat, tam turpis vel mendacii vel ignorantiae insimulari non potest, ut, cum dicat se ex mari Caspio in Oxum esse dela-

1) Perf. R. lib. IV. c. I.

2) Reisen d. verschiedl. Provinzen d. R. R. tom. III. 568-76.

delatum; hoc credi non debeat; certat porro totius antiquitatis inprimis STRABONIS et PLINII auctoritas; qui, ut de Jaxarte facillime falso statuere poterant, ita non poterant de Oxi ostiis, cum Margianam felicissimam atque notissimam terram Oxo terminarent [3]). PTOLEMAEUS: Μαργιανὴ περιορίζεται — ἀπὸ δὲ ἄρκτων μέρει Σκυθίας, τῷ ἀπὸ τῶν ἐμβολῶν τοῦ Ὤξου ποταμοῦ μέχρι τοῦ πρὸς τῇ Βακτριανῇ αὐτοῦ τμήματος, οὗ ἡ θέσις ἐπέχει μοίρας 44°, quod, detractis, quos sueto errore addit, tribus gradibus, recte cum hodierno situ convenit istius loci, unde meridionale Oxi brachium versus sinum Balkaan vergit. Accedit quod mare Caspium Oxo flumini, ubi versus septentrionem flectitur, propius accedit quam lacus Aral, neque ab ipso nisi planitie admodum depressa sejunctum est. Tali modo et illud quod STRABO et PLINIUS de mercibus ex India in Pontum devehendis narrant, in-

tactum

3) Cf. PTOLEM. tab. VII. As. et STRABON. XI. 785.

tactum maneret, quamquam propter difficultatem navigationis in mari Caspio, propter rapiditatem Cyri aquas suas per saxa Caucasi devolventis, propter habitantium ibi populorum ferocitatem, quod hodieque, Tscherkessorum immitissimum ingenium probat, hanc mercaturae faciendae viam vix magnopere frequentatam esse crediderim; accedit quod neque STRABO, neque PLINIUS tamquam αὐτόπται narrant, sed res sibi relatas referunt. At quidquid statuas de ista mercaturae via, hoc certum est, hujus brachii Oxi fluvii vera ostia minime latuisse veteres auctores. PTOLEMAEUS certe cursum Oxi, qui ex nostra opinione in septemtrionem declinat, versus meridiem recte ad mare Caspium in sinum Balkaan tendere statuit, et ostia sub gradu lat. 43° collocat, quod ipsum clima est sinus Balkaan (detractis illis tribus gradibus), in quem meridionale brachium fertur, cujus clima est 40° lat. OLEARIUS ostia Oxi ponit sub 39°. At videas, quaeso, quam accurate distantia ostiorum POLYTIMETI, quem Ki-

 fil-

sil - Daria esse docuimus, et Jaxartae cum nostra ratione conveniat, si hoc meridionale Oxi brachium, PTOLEMAEI totiusque antiquitatis Oxum esse statuamus. Secundum PTOLEMAEUM ostium Oxi est sub gradu lat. 43°; POLYTIMETI: 45° 30'. Distant igitur ostia duobus gradibus cum dimidio; quae eadem distantia est inter sinum Balkaan et ostia fluvii Kisil - Daria. Porro ERATOSTHENES apud STRABONEM[4]) et PLINIUS [5]) (ex emendatione, cum legeretur 2000 st. calculus enim non convenit cum summa totius ambitus): Jaxartae et Oxi fluvii ostia distare tradunt bis mille quadringenta stadia, quae fere aequant octoginta parasangas, seu quinquaginta milliaria geographica, si uni parasangae triginta stadia, sive [6]) tres quadrantes milliarii geographici, huic vero quadraginta octo stadia tribuis. Quinquaginta vero milliaria geographica

4) Lib. XI. p. 773.

5) PLIN. hist. nat. lib. VII. c. 13.

6) De mensura parasangarum cf. STRAB. XI. p. 788.

graphica efficiunt circiter tres gradus cum triente, quod accurate cum hodierna distantia sinus Balkaan, in quod brachium meridionale Oxi effunditur, sub grad. lat. 40°, et ostiorum Jaxartae, quorum clima est 43° 30', convenit, cum tamen septemtrionale Oxi brachium, quod in lacum Aral infunditur, ne dimidio quidem istius distantiae ab ostiis Jaxartae sejunctum sit. PTOLEMAEI vero ratio, qui ostia Jaxartae sub grad. lat. 78° et Oxi 43° ponit, quinque gradibus differt, quod magis pro nostra sententia pugnare, quam contra eam, nobis videtur. Quae cum ita sint, certissimis hisce argumentis demonstrasse mihi videor, Oxum per hunc canalem, qui nunc oblimatus et aquis aversis (minuuntur enim Oxi aquae, uti mox videbimus), exsiccatus est, non solum antiquis verum etiam recentioribus temporibus in sinum Balkaan maris Caspii esse delatum. Quod autem boreale hujus fluvii brachium attinet, hoc utpote in vastissima prorsusque veteribus ignota regione, per deserta scilicet Chorasmiae in

qua veteres vagantes Scythas vivere credebant, nos Usbeco-Tataros incolere scimus, cursum suum tenens, facillime habitare vel lacus Aral, in quem infundebatur, pro mari Caspio haberi poterat; nisi et illud brachium in mare Caspium versus sinum Sellizure prope urbem Urjenz ferebatur, et ABULFEDAE demum tempore in lacum Aral detortum est. Non deest vero, qua hanc nostram sententiam adfirmemus, auctoritas, quanquam non ex ipso antiquitatis fonte hausta, sed ex viri cl. SAINTE-CROIX de scriptoribus rerum gestarum Alexandri magni libro deprompta. Is enim scribit, se in codice manuscripto geographi cujusdam turcico, quem supra jam attulimus, Kiatib-Chelebi [7]) legisse: Jihun sive Oxum fluvium in plura dilabi brachia, quorum alia in lacum Chowarezmiae, i. e. Aral, alia vero in mare Caspium deferantur, per vallem quandam, cui nomen Kierlaveh.

Cetera vero de hoc fluvio dicenda quod attinet, videamus, quid scriptores antiqui nobis

7) Pag. 884.

nobis de eo dicant: STRABO [8]): Ἀριστόβουλος δὲ καὶ μέγιστον ἀποφαίνει τὸν Ὦξον τὸν ἑωραμένον ὑφ' ἑαυτοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν πλὴν τῶν Ἰνδικῶν· φησὶ δὲ καὶ εὔπλουν εἶναι. Idem ARRIANUS [9]): ὁ δὲ Ὦξος ἐστι ποταμῶν μέγιστος τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, πλὴν τῶν Ἰνδῶν ποταμῶν· porro τὸ μὲν εὖρος ἦν ἐς ἓξ μάλιστα σταδίους· βάθος δὲ, οὐδὲ πρὸς λόγον τοῦ εὔρους, ἀλλὰ πολὺ δή τι βαθύτερος καὶ ψαμμώδης καὶ ῥεῦμα ὀξύ. Quod paullo inferius repetit [10]). POLYBIUS [11]) ὁ δὲ Ὦξος ἐπὶ πολὺ αὐξηθεὶς ἐν τῇ Βακτριανῇ, συῤῥεόντων εἰς αὐτὸν ὑδάτων, φέρεται διὰ πεδιάδας χώρας πολλῷ καὶ θολερῷ ῥεύματι [12]). Quae omnia ab eorum, qui nostris temporibus Oxum viderunt, testimoniis magnopere discrepant, quippe qui Oxum adeo attenuatum et exhaustum

8) XI. p. 776.

9) Lib. III. c. 29.

10) Lib. VII. c. 16.

11) Lib. X. p. 619. ed. CASAUB.

12) Cf. PRISC. v. 723. AVIEN. v. 926.

haustum esse scribunt, ut aegre usque ad lacum Aral prorepat [13]). Inde vero manifestum est, quomodo illud meridionale ejus brachium, quod in sinum Balkaan infertur, deficiente aqua, exsiccatum fuerit. Quamquam fluvius, qualis est Oxus, ex tot montanis rivulis ac torrentibus alimentum accipiens, idemque sub calidiori coeli plaga cursum tenens, nunc tenuis et tardus, nunc profundus et rapidus esse potest. Plurimum tamen aquae ei limum detraxisse crediderim, cujus magnam copiam fert, teste QUINTO CURTIO [14]) unde: "turbidus semper et insalubris est potu". PLUTARCHUS [15]) scribit: *λέγεται μὲν οὖν τὸν Ὦξον αὐτὸν εἶναι μαλακώτατον ὕδωρ, ὥστε τὸ δέρμα τοῖς λουομένοις ἐπιλιπαίνειν.* Praeterea vero secundum ARISTOTELEM [16]) aurifer est. Salis vero ramenta eum secum ferre, jam supra

13) Cf. LANGLES collection des voyages tom. I. p. 256 et OTTE voyage tom. I. p. 236.
14) Lib. VII. c. 10.
15) Vita Alexandri c. 57.
16) De mirab. auscult. lib.

supra ex Plinio [17]) didicimus. Huc etiam pertinet, quod de duplici Oxum transeundi ratione, qua Aspasiacae, nomades trans Oxum vagantes, utantur, Polybius [18]) refert παράδοξον: Aquas Oxi e superiori quodam loco violenter delatas in subjecta saxa tanta vi impingi, ut, ex iisdem saxis resilientes, nonnisi integro stadio emenso ad terram concidant, et per aërem sublimes quasi arcum conficiant, cujus chorda stadium sit, viam autem esse tam latam, ut sub aqua cum impedimentis et equis impune transire liceat. At in altera parte violentia praecipitatae aquae solum cavatur, ut fluvius subter terram labatur, donec exiguo spatio iterum prorumpat. Sic nomades isti et hoc in loco, quasi per pontem, fluvium transeunt. Confirmat hoc Edrisi in geographia Nubiensi [19]) hisce verbis: "In Dehani-Kir abscondit se Jihun sub magno quodam ponte, qui transiri potest.

17) Hist. nat. XXXI. c. 7.
18) C. X. p. 619. Casaub.
19) Clima III. pars 8. pag. 138.

est [20]). Rem huic similem narrat STRABO [21]): torrentes quosdam ex imminentibus mari Caspio saxis tanta violentia praecipitari, ut aquae longe in mare Caspium projiciantur, nec litus subjacens vel levissimo rore adspergant; quare sub alveis horum fluminum accolas istarum regionum transire. Quid vero de his ac similibus statuendum sit, significat STRABO ita: καὶ τοῦτο ἐκ τῶν κατὰ τὴν Ὑρκανίαν θρυλλουμένων παραδόξων; quippe, ne dicam in Oxo fluvio, nullibi in toto orbe terrarum ejusmodo aliquid fieri, quantum scio, proditum est. Nec hisce narratiunculis, nulla certa auctoritate, sed vago hominum rumore innitentibus diutius inhaereremus, nisi istae angustiae Dehani Kir seu potius iste hiatus terrae, quo hauriatur Oxus, auctores quosdam, inprimisque virum cl. SAINTE-CROIX in hunc errorem induxissent, ut huc narratio-

20) De aliis fluviis terram subeuntibus cf. CURT. lib. VI. 44. ibiq. comment. FREINSH.

21) XI. p. 778.

narrationem HERODOTI [22]) de Ace flumine et lacu ex intercepta istius Acis aqua effecto referendam putarent.

Restat ut potiores amnes recenseamus, quos Oxus haurit. Inde a fontibus usque ad urbem Termed, cujus situm supra descripsimus, ingens ignobilium rivorum numerus Oxo se miscet, quos maxima ex parte antiquitas ignoravit, nec nunc scire eorum nomina attinet. Cujus tamen nomen a PTOLEMAEO nobis perlatum est, is vocatur *Dargidus*, nemini, quantum scio, praeter PTOLEMAEUM memoratus. Fontes ejus collocat PTOLEMAEUS lat. gr. 39°, long. 116° mixtionem cum Oxo sub lat. 44°, long. 116°. Quod falsissimum est; et natus inde error iste quod totum orientalem Oxi cursum quatuor fere gradibus justo propiorem boreae facit. Ad quemcunque enim istorum rivulorum nomen illud referas, quo enim pertineat, certo adfirmare non ausim, ultra trigesimum septimum, seu quadragesimum PTOLEMAEI gradum,

22) Lib. III. c. 117.

dum, cum Oxo confluere non potest, quare hic et alibi PTOLEMAEI error notandus. Ad hunc fluvium ponit auctor *Βάκτρα βασίλειον* in occidentali Dargidi ripa sub lat. 41°, long. 116°. Secat vero Dargidus terram Bocharorum hodie Tocharestan, quamquam a PTOLEMAEO Bactrianis adscriptam.

Occidentalis Bactrianae regio quatuor rivis percurritur: *Dargomane* sc., *Ocho*, *Artami* et *Zariaspe*. Dargomanes et Ochus jungunt se invicem, uti et Artamis ac Zariaspis, teste AMMIANO MARCELLINO [23]) (notandum tamen, AMMIANUM Dargomanem Orchomanem dicere), qui "junctos convenis aquis augere immania Oxi fluenta" tradit; ut scilicet quatuor isti rivi primum in duos coeant, deinde junctis in uno alveo aquis, Oxo sese misceant; quod et cursus istorum amnium, quibus nunc adjacet Balch urbs, postulat. Aliter vero PTOLEMAEUS, qui mixtionem Dargomanis et Ochi cum Oxo ponit sub lat. gr. 40° long. 113°. Commune vero istorum quatuor rivulorum

23) Lib. XXIII. c. 26.

vulorum ostium in tabulis recentioribus invenitur sub grad. lat. 37°, long. inde a Ferro 84. Omnes hi rivuli ex montibus Paropamisi decurrunt. Notandum tamen est, ad Zariaspem situm fuisse caput Bactrianae Zariaspam, quae et Bactra vocatur. Utrumque autem nomen nacta est urbs a flumine praeterlabente. STRABO[24]: τά τε Βάκτρα, ἥνπερ καὶ Ζαριάσπαν καλοῦσιν· ἣν διαῤῥεῖ ὁμώνυμος ποταμὸς ἐμβάλλων εἰς τὸν Ὦξον. PLINIUS[25]: "Bactri, quorum oppidum Zariaspe, quod postea Bactrum a flumine vocatum est". CURTIUS[26]: "Ipsa Bactra regionis caput, sita sub monte Paropamiso. Bactrus amnis praeterit moenia. Is urbi et regioni dedit nomen". ARRIANUS quidem expressis verbis nusquam eandem urbem fuisse Bactra et Zariaspem dicit, nec amnem illum memorat, ex ejus locis tamen patet, eum neutiquam Bactra

24) XI. p. 786.
25) Hist. nat. lib. VI. c. 16.
26) CURT. de reb. gest. Alexand. M. lib. VII. c. 4.

Bactra et Zariaspem tanquam duas urbes distinxisse. Quapropter manifestum est, istud flumen duplici appellatione vocitatum fuisse Zariaspem et Bactrum. Desiderant viri docti majorem auctoritatem pro Bactro amni, at equidem nescio, cur in iis, quae afferre possumus, cum ad tam exiguum amnem in regione a Graecorum terra remotissima quaestio pertineat, acquiscere nolint. Aristoteles 27), Plinius et Curtius aperte designant amnem Bactrum. Strabonis illud *ὁμώνυμος* ambiguum est; ad utrumque *τῷ Βάκτρῳ* et *Ζαριάσπῃ* referri potest. Confirmatur porro res eo, quod Abulfedae saltem aetate rivus iste, ad quem sita est urbs Balch, vetus Bactrum, et ipse adhuc appellatus est: rivus Balch 28). Non ignarus sum, contra haec omnia pugnare auctoritatem Ptolemaei, qui Bactrum amnem haud novit, sed Zariaspem tantum, deinde Zariaspam urbem non ad amnem ejusdem nomi-

27) Meteorol. lib. I. c. 13.

28) Cf. Abulfeda descript. Chowar. et Mawar. Huds. geogr. tom. III.

nominis sed ad Oxum ipsum collocat, Zariaspam denique et Bactra diversas urbes facit, et hanc quidem ad Dargidum amnem collocat. Quodsi vero auctoritatem ARISTOTELIS, PLINII et STRABONIS, PTOLEMAEI auctoritati, qui totum Oxi cursum tam perverse descripsit opponimus, nemo sanus dubitaverit, quin illis adstipulandum sit. Praeterea nonne verosimilius est, Zariaspam urbem ad ejusdem nominis amnem, minime vero ad Oxum sitam fuisse, praesertim cum ipse PTOLEMAEUS Bactra βασίλειον, caput regionis, non ad Oxum sed ad alium rivum Dargidum, eundem prorsus cum Zariaspe cursum habentem, collocet? Quare error PTOLEMAEI manifestus mihi esse videtur. Omnium pessime vero Bactra collocat HIPPARCHUS sub lat. gr. 60° 51′ 29).

Prosequamur cursum Oxi usque ad long. inde ab insula Ferro sumptae gr. 81° 30′.

Misce-

29) Cf. GOSSELIN recherches sur la geogr. des anciens I. p. 41.

Miscetur ibi Oxo amnis, ad quem nobilissimae duae urbes istarum regionum sitae sunt, Bochara et Samarcand. Mirum tamen est, cum recentiorum opera [30]) constet, urbem Samarcand veterum esse Maracanda: nusquam istius rivi apud veteres mentionem fieri, ad quem sita est Samarcand atque Bochara. Si tamen verum est, de quo vix dubitari potest, Oxianem lacum Ptolemaei esse lacum Taran seu Karagkol, iste rivus unus ex illis esset, quos Ptolemaeus [31]) ex iisdem montibus cum Jaxarte et Oxo decurrentes ἀνωνύμους vocat, et quorum unum istum lacum efficere scribit. Omnia vero optime in hunc rivulum quadrant, tum cetera, tum quod in Oxum eum influere dicit. Avrilius pater eum vocat Sogd, hodie nuncupatur: Kai.

Alius, qui in Oxum fertur amnis, est *Ochus* Straboniangs, de quo quidem ipsi veteres nil nisi impedita atque perplexa tradunt,

30) Sprengel in Geschichte der geogr. Ent.
31) Lib. VII. c. 12.

dunt, et, ni fallor, recentiores haud rectiora. Omnes enim et ipſe DANVILLIUS amnem Margo propius occidentem collocant, et peculiari oſtio in mare Caſpium labi ſtatuunt. Jam ante omnia audiamus, quid veteres de hoc Ocho ſtatuant. STRABO [32]: ῥεῖν δὲ Ὦχον, οἱ μὲν διὰ τῆς Βακτριανῆς φασὶν, οἱ δὲ παρ' αὐτήν· καὶ οἱ μὲν ἕτερον τοῦ Ὤξου μέχρι τῶν ἐκβολῶν νοτιώτερον ἐκείνου, ἀμφοτέρων δ' ἐν τῇ Ὑρκανίᾳ καὶ εἰς τὴν θάλατταν ὑπερέχειν ἐκρύσεις· οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἕτερον, συμβάλλειν δ' εἰς τὸ τοῦ Ὤξου ῥεῖθρον, πολλαχοῦ καὶ ἓξ ἢ καὶ ἑπτὰ σταδίων ἔχοντα τὸ πλάτος. Idem [33]: Οὐ σπάνιον δὲ ὑπὸ τῶν παλαιῶν ὁ Ὦχος ὀνομάζεται. Ἀπολλόδωρος μέντοι ὁ τὰ Παρθικὰ γράψας, συνεχῶς αὐτὸ ὀνομάζει, ὡς ἐγγυτάτω τοῖς Παρθυαίοις ῥέοντα. Ac paullo prius: διαιρεῖται δὲ καὶ ποταμοῖς ἡ Ὑρκανία τῷ τε Ὤχῳ, καὶ τῷ Ὤξῳ, μέχρι τῆς εἰς θάλατταν ἐκβολῆς,

ὧν

32) XI. p. 788.
33) P. 777.

ὧν ὁ Ὦχος διὰ λῆς Νησαίας ῥεῖ· ἔνιοι δὲ τὸν Ὦχον εἰς τὸν Ὦξον ἐμβάλλειν φασί. In his vero STRABO aut pessime sibi ipse repugnat, aut de duobus amnibus loquatur necesse est, quod indicandum omnino erat. Istum enim Ochum per Bactrianam fluentem, sive fines saltem Bactrianae perstringentem, deinde eundem Parthiae non solum vicinum facit, immo etiam per ipsam Nesaeam et Hyrcaniam deducit. Jam vero constat, inter Hyrcaniam et Bactrianam jacere totam Margianam et Ariam et utramque suo flumine secari, Margo sc. et Ario, quod ipse STRABO infra nos docebit. Habuisse vero eum utrumque fluvium pro eodem, inde perspicuum est, quod de ostiis utriusque idem dicit. Quis igitur non videt, STRABONEM duo flumina prorsus diversa in unum conjunxisse, quorum alterum in Hyrcania, alterum et verus quidem Ochus in Bactriana fluit. In hoc enim consentiunt testimonia reliquorum scriptorum, quorum nullus Ochum per Hyrcaniam in mare Caspium ducit. PLINIUS:

us [34]: "Gens haec, sc. Bactrorum, obtinet aversa montis Paropamisi, ex adverso finis Indici includitur flumine Ocho". Nec non PTOLEMAEUS eum inter quinque illos Bactrianos amnes refert, qui Oxo commiscentur, quamquam, ut AMMIANUS, Ochum Dargomanem e Paropamiso in Oxum deferre dicit [35]. Accedit QUINTI CURTII auctoritas, qui [36] superatis amnibus Ocho et Oxo, Alexandrum sex urbes condendi cepisse consilium refert. Scimus autem ex STRABONE [37], JUSTINO [38] et aliis, has urbes, de quarum numero quidam disputant, in Bactrianis et Sogdianis conditas fuisse, ex quo manifestum est, et hic Ochum terminum Bactrianae constitui. Praeterea vero, si STRABONIS alter Ochus per Hyrcaniam flueret, qui fieri potuisset, ut de ostiis

34) Hist. nat. Lib. VI. c. 16.

35) De quo vide supra.

36) Lib. VII. c. 10. v. 15.

37) Lib. XI. c. 787.

38) Lib. XI. c. 5.

ostiis ejus dubitarent, cum Hyrcania totius fere Persidis fertilissima provincia neutiquam tantopere ignota esse posset? Quae cum ita sint, nescio, quo pacto DANVILLIUS unum istum STRABONIS Ochum, Hyrcaniam praeterfluentem in mappis suis adumbraverit, nulla prorsus ejus ratione habita, qui Bactrianam ab occasu discriminat, vel secat ex ceterorum omnium scriptorum testimonio, quorum nullum istius Ochi per Hyrcaniam fluentis mentionem fecisse invenio. At de ostiis istius Ochi, quem omnes auctores et ipse STRABO memorant, dubitari non potest, ac tribus quidem de caussis; primum enim PTOLEMAEI et AMMIANI MARCELLINI auctoritate in Oxum sese infundit, ipseque STRABO eum ad sex septemve stadia Oxo adpropinquare scribit. Deinde cum ab occidentali ejus parte Margus in Oxum infundatur, necesse est, ut ipse quoque Oxo misceatur, alioquin Margum secaret. Nullus denique tantae magnitudinis in istis regionibus amnis invenitur, qui ex Bactriana ad mare Caspium usque fluat,

fluat; etsi enim ex Bactrianae confiniis eum derives, tamen dimidium saltem totius cursus Oxi fluminis emetiretur necesse esset, antequam ad mare Caspium perveniret. Sed jam quaeritur, quis sit hic Ochus et STRABONIS alter occidentem propior? Ad hanc quaestionem antequam respondeamus, de ultimo, qui in Oxum infertur, amne agamus, Margo scilicet.

Consentiunt de eo fere omnes antiqui auctores: STRABO 39): τὰ δὲ πεδία ποταμοῖς διαῤῥεῖται· ποτίζουσι δ' αὐτὰ τὰ μὲν, τῷ Ἀρίῳ, τὰ δὲ Μάργῳ, sc. secatur Aria fluvio Ario, Margiana Margo. PTOLEMAEUS 40): διαῤῥεῖ δὲ τὴν χώραν ποταμὸς ἀξιόλογος, ὁ Μάργος, cujus fontes: long. 105° lat. 39°, et mixtio cum Oxo long. 102°, 40′, lat. 43° 30′. ARRIANUS 41) eum vocat Ἔπαρδον, idque ex eo patet, quod eum simul cum Ario, qui Ariorum terram

39) XI. p. 785.
40) Lib. VI. c. 10. tab. VII. As.
41) De expedit. Alex. lib. IV. c. I. v. 12.

terram perfluit, adfert, et quod aperte nomen barbarum Margi graece vertit. Ἐπαρδος enim originem habet ἀπὸ τοῦ ἐπάρδειν irrigare, aquas ad irrigandum corrivare. Jam vero Plinius [42]) tradit: "interfluente Margo, qui corrivatur in Zotale", loquitur autem auctor de Margiana. Patet igitur, istum Margum ab incolis ad irrigandam regionem in plures diductum esse rivulos et canales [43]). "Margus" vero esse vocem barbaram inde perspicuum est, quod hodieque in istis regionibus invenitur nomen amnis scilicet: Morgab. Quare hoc minus errore geographico, quam vocum simillimarum commutatione crediderim factum esse, quod Arrianus hunc Epardum per Mardorum, non Margorum, quos prorsus ignorat, terram fluere dicit. Loquens enim de regionibus ubi Polytimetus terra haustus evanescat, scribit: ἐκεῖ, sc. in iisdem terris, et alios terra hauriri fluvios, sc. Epardum, Arium, et Etymandrum. Hoc bene de cursu

42) Hist. nat. lib. VI. c. 16.
43) Cf. Salmas. Plin. exerc. p. 983.

cursu, Etymandri et Arii dici potest; hic enim, uti jam vidimus, in Aria fluit, ille vero, uti ex ARRIANO [44]) et QUINTO CURTIO [45]) discere licet, in terra prope Arianam sita. Cum enim ARRIANUS Etymandrum cursum per Euergetas tenere dicat, Euergetae vero sint qui Ariaspae prius dicti [46]), cumque Alexander rebus in Ariana compositis ad Ariaspas copias contendere jusserit: patet eos esse Arianorum finitumos, et quidem ex auctoritate PTOLEMAEI [47]), qui urbem Ariaspam in Drangiana collocat, a meridie vicinos. Ergo Epardus minime apud Mardos, tota Hyrcania ab ostiis diremtos, quaerendus, sed apud Margianos; alioquin dicere ARRIANUS non potuisset, Epardum fluere ἐκεῖ, i. e. in regionibus, quas permeant Arius et Etymander. Praeterea tunc rectus servatur ordo, post Margum

44) Lib. III. c. 27.

45) Lib. VII. c. 3.

46) Cf. ARR. III. cap. 27. 9.

46) Tab. IX. As. lib. VII. c. 19.

gum enim seu Epardum adfert Arium in Ariana, post hunc Etymandrum in Drangiana. Deinde Arriani Epardum esse Mardum confirmatur eo, quod auctor Epardum ἀφανίζειν seu terra hauriri dicit, cui opinioni ansam praebuit ejus in plures minores rivulos discessio.

Expositis hisce, de fluviis per Bactrianam et Margianam usque ad finem Hyrcaniae in Oxum sese effundentibus, Dargido, Artami, Zariaspe, Dargomane, Ocho et Margo: jam dispiciendum est, ad quosnam horum amnium ii rivi pertineant, qui per Tochareſtan Balch et Chorasan ad Jihun cursum tenent. Tantum vero abest, ut certi aliquid me allaturum esse putem, ut potius probabilia tantum et minus absona a veritate, quam huc usque factum est, afferre satis habeam. Quis sit *Dargidus*, certo definiri non potest: tanta enim ibi rivulorum e Paropamiso decurrentium multitudo est, ut, quemcunque velis, pro Dargido habere possis. Artamin vero eum amnem vocaverim, qui longit. ab insula Ferro gr.

85°

85° ex Paropamiſo duobus brachiis decurrit; et ſub gradu ejusdem long. 84° in alium amnem infunditur, cui tunc neceſſario nomen eſſet *Zariaſpis* ſeu Bactrus, ad quem ſita eſt Balch urbs. Ex eodem monte decurrit gradu lat. 35°, long. 81°. In confiniis vero provinciarum Balch ſive Bactrianae et Choraſan duos amnes invenies, qui ex fontibus ſub lat. gr. 34°, parallelo fere curſu, alter orientem propior prope urbem Maruel Rud, nomine barbaro Morgheb ſecundum gradum long. 80°, alter occidentem propior prope urbem Herat, nomine barbaro Herirud, ſecundum gradum longit. 78° verſus Oxum ſive Jihun vel Amu deferuntur. Neuter tamen usque ad Oxum pervenit, ſed ſub gradu lat. 37° proxime ſibi invicem fluentes, in paludes ſtagnantes aquas ſuas effundunt. Dubitari vix poteſt, quin, ſi curſum ſuum perſequerentur, non ſolum coirent, verum etiam in Oxum inciderent. Quare in eam ſententiam inclino ut illum *Darchomanum* ſeu *Dargomanem*; hunc Ochum omnibus aucto-

ribus

ribus memoratum Bactrianae terminum esse statuam. Morgus vero certissime mihi esse videtur amnis Tedjen; percurrit enim in orbem curvatus istam partem provinciae Chorasam, quae olim Margiana dicebatur. At in Ossiis est, quod haereamus; cursum enim potius aversum ab Oxo habet, quam ut cum eo coiturus esse videatur, si cursum suum ulterius persequeretur; nam et ipse hauritur palude Tedjen, cui nomen dedit. Nihilominus tamen, cum ista palus proxime sinui Balkaan adjaceat, in eum forsitan iste amnis exitum habuit, donec intercluso ostio paludem repleret aquis suis; iste vero sinus satis angustus, in quem Oxus effertur, pro parte Oxi non minus recte haberi poterat, quam ingentes isti alvei, in quos effunduntur Scaldis et Albis, qui tamen fluviorum suorum nominibus nuncupantur. Neutiquam tamen hanc conjecturam pertinaciter tueri volo; sed si quis meliora ostenderit, lubentissime in ejus sententiam discedam. Sed unum hoc de Margo adjiciamus, vix ullum alium inve-

niri,

viri, ad quem melius ea trahi possint, quae HERODOTUS [48]), de Ace narrat [49]). Confinia Chorasmiae, Hyrcaniae et Parthiae Margianam luculentissime describunt. Planities vero montibus undique cincta, in Margiana montibus referta facile inveniri poterat. Quod vero Aces fluvius convallem istam permeans, incolentium agros irrigabat, adprime cum eo convenit, quod de Margo irrigandorum agrorum caussa in plures canales diducto PLINIUS tradit [50]). Praeterea vero mediocris Margi amnis magnitudo talem obstructionem aquarum, qualem a rege Persarum HERODOTUS factam esse narrat, quodammodo admittere videtur; quod quomodo de Oxo adfirmare possint viri docti nescio. Quis denique sit STRABONIS Ochus, dici vix potest. Quaerendus omnino in confiniis Hyrcaniae et Parthiae; sed falsissime auctor Hyrcaniam usque ad ostium Oxi, imo ulterius, porrigit,

48) Lib. III. c. 17.
49) Cf. supra pag. .
50) Hist. nat. lib. VI. c. 16.

git, διαιρεῖται δὲ ἡ Ὑρκανία τῷ τε Ὤχῳ καὶ τῷ Ὤξῳ μέχρι τῆς εἰς θάλατταν ἐκβολῆς, at idem secundum APOLLODORI auctoritatem Hyrcaniam in vicinia Parthorum prope Nisaeam collocat. Quare nisi aliquem istorum amnium cogitare mavis, qui Hyrcaniam permeantes ad mare Caspium tendunt v. g. Socandam seu Stratum, de quibus statim disputabimus: quem justius advocem, quam illum amnem, qui in eandem paludem cum Tedjen fluvio defertur, prorsus non video. Praeterit enim hic amnis haud ita procul ab urbe Nicapor, cujus situs cum Nisaeae urbis climate bene congruit; idem tamen cursum versus septemtrionem ad Oxum flectit, quod ratio STRABONIS postulat. Sed jam pergimus ad eos fluvios, qui suis ipsorum ostiis mari Caspio illabuntur, e quibus primo loco nominandus

V. *Socanda.* Monendus autem est lector, nos amnes et rivos, qui per Hyrcaniam et Atropatenam, nobis Mazandaran et Ghilan, in mare Caspium influunt, eo ordine

ordine enumeraturos esse, quo utitur PTOLEMAEUS, quippe qui plurimos noverit. Fluunt vero inde ab orientali Hyrcaniae fine usque ad Araxem Armeniae praecipui hi amnes: Socanda, Maxera, Charinda, et PLINII Syderis, Stratos, Amardus, Cyrus, Cambyses. Plerique istorum amnium obscuri atque ignobiles sunt, utpote quorum cursus, quamquam rapidus, tamen brevissimus; unde, cum tanta eorum multitudo sit, difficillimum erit, suum cuique cursum et nomen tribuere. Ac primum quidem de Socanda amni dubitandum; in tabulis geographicis PTOLEMAEI est nomen rivuli cujusdam orientalem Hyrcaniae finem praeterfluentis [51]), et in ipsa enarratione geographiae [52]) notat urbem Σωκανὰ adpellatam. Urbis et ostiorum amnis clima: long. gr. 97° 30′, lat. 42°. Ceterum, cum reliquorum scriptorum nullus istius Socandae mentionem fecerit, vix certi aliquid statui

51) Tab. V et VII. As.

52) Lib. VI. c. 9.

ſtatui poterit; neque res eſt tanti, cum geographia nihil inde lucretur. Sequitur:

VI. *Maxera.* Apud PLINIUM[53]) Mazeras vocatur; clima oſtiorum apud PTOLEMAEUM long. 87° 20′, lat. 41° 30′. Nulli veterum ſcriptorum nec ipſi STRABONI in deſcriptione Hyrcaniae[54]) memoratur praeter PTOLEMAEUM, PLINIUM et AMMIANUM MARCELLINUM[55]), qui ſcribit: "Hic, apud Hyrcanos ſcilicet, amnes duo pervulgati ſunt nominis Oxus et Maxera".

VII. *Charinda* apud unum PTOLEMAEUM[56]), qui oſtia ejus ponit ſub long. gr. 93°, lat. 40° 30′, et AMMIANUM invenitur, qui eam intra Amardum et Cambyſem locat, parum adcurate. Finem occidentalem Hyrcaniae ſecat. Hunc amnem Charinda

53) Hiſt. nat. Lib. VI. c. 16.
54) Lib. XI. p. 718 et ſeq.
55) Lib. XXIII. c. 6.
56) Lib. VI. c. 2. tab. Aſ. V.

Charinda equidem PLINII [57]) *Syderim* esse crediderim. Scribit enim: Hyrcani, a quorum litoribus idem mare Hyrcanum vocari incipit a flumine Syderi. Circa id amnes Mazeras i. q. Maxera, et Stratos". Ponit ergo PLINIUS Syderim suum inter Stratum et Maxeram, quod cum cursu Charindae PTOLEMAEI convenit. Deinde cum PLINIUS dicat: "Litoribus Hyrcanorum, et quidem inde a flumine Syderi" patet hunc fluvium terminum fuisse Hyrcaniae, cumque PLINIUS populos ab occidente orientem versus, Caspios, Tapuros, Hyrcanos enumerat, in promptu est, Syderim ipsi esse terminum occidentalem Hyrcaniae, quod non minus de Charinda dici potest. Caeterum uterque amnis, (excepto AMMIANO,) nonnisi e suo quisque scriptore cognoscitur, neque PTOLEMAEUS Syderim, nec PLINIUS Charindam novit. Sequitur:

VIII. *Stratos sive Straton.* Fontes ejus collocat PTOLEMAEUS sub. gr. lat. 38° 30',

57) Hist. nat. lib. VI. 16.

30′, long. 88°; ostia vero sub grad. lat. 40°, long. 90° 20′. PLINIUS [58]) hunc Stratum, uti Mazeram et Syderim, e Caucaso paullo latiori sensu sumpto, deducit. Ceterum neque apud STRABONEM, neque apud alium quemquam geographum veterem ejus mentio injicitur. Sequitur:

IX. *Mardus sive Amardus.* PTOLEMAEUS [59]) fontes ponit sub longit. 85° lat. 38° ostia in gradu long. 86°, lat. 42° Memorat eum etiam AMMIANUS MARCELLINUS [60]) tanquam Mediam permeantem, in quo cum PTOLEMAEO consentit, qui eum per Atropatiam, Mediae partem ducit. Alia hujus amnis vestigia reperire non potui. Sequitur:

X. *Cyrus* Mediae. Plures in geographia istarum regionum occurrunt amnes, quibus nomen Cyrus inditum est. Alter quidem Iberiae et Albaniae, hodie Kur, de quo mox dicendum erit, alter vero Persidis,

58) Hist. nat. VI. 16.
59) Lib. VI. c. 2.
60) Lib. XXIII. c. 6.

fidis, qui nihil ad nos. Neutrum nunc in mente habemus, sed nostrum Cyrum deducit PTOLEMAEUS per Atropatiam in mare Caspium sub gradu longit: 83° 30′ lat. 42° 15′; fontes vero secundum PTOLEMAEUM sub gr. long. 82° lat. 39° 30′. Hujus vero Cyri nusquam, quantum scimus, a STRABONE mentio facta est, quamquam de Cyro Iberiae et Albaniae multa loquitur. Notandus tamen est POMPONII MELAE [61]) de Cyro flumine deque sequenti Cambyse locus propter insignem hominis levitatem. De quo huc quidem non pertinente infra pluribus dicemus; hic monuisse sufficiat: POMPONIUM Cyrum et Cambysem e montibus Coraxicis per Iberos deducere, istumque Cambysem uno ore cum Cyro in Hyrcanum sinum influentem facere, quae omnia minime in hunc Atropatiae Cyrum quadrant. Non minus ambigua sunt, quae AMMIANUS MARCELLINUS [62]) de Cyro flumine

61) Lib. III. c. 5.
62) Lib. XXIII. c. 6.

mine refert. Verba ejus sunt: "Amnes has regiones praetereunt multi, quorum maximi sunt Choaspes et Gyndes et Amardus et Charinda et Cambyses et Cyrus, cui magno et specioso Cyrus ille superior rex amabilis, abolito vetere, id vocabulum dedit, quum ereptum ire regna Scythica destinaret: quod et fortis est, ut ipse etiam ferebatur, et vias sibi ut ille impetu ingenti molitus, in Caspium delabitur mare". Patet omnino hunc Cyrum esse Mediae flumen, quia inter alias urbes Ecbatana quoque tanquam ibi sita memorat auctor. Idem testatur ordo fluviorum. Choaspes enim et Gyndes celeberrimi amnes de meridionali Mediae acclivitate decurrunt. Cursum vero Amardi et Charindae jam novimus. At haerent viri docti in rapido cursu ac violento impetu, quo iste Cyrus viam sibi ad mare Caspium moliri dicitur. Haec magis Albaniae Cyro convenire credunt. Mihi quidem nihil in his mirum videtur; primum enim omnino verisimile est, rapidum fuisse istum Mediae Cyrum, quia, uti ceteri,

teri, e celsissimis, quibus Media et Atropatene cingitur, montibus, non procul a mari Caspio sitis, secundum septentrionalem declivitatem decurrit; nec alicubi, quantum scimus, tardus et lenis vocatur. Deinde vero AMMIANUS de magnitudine et violenta rapiditate vix ita, ut fecit, loquutus esset, nisi mutati per Cyrum nominis rationem reddere voluisset. Quare hanc ipsam fluvii cum Cyro rege comparandi caussam fuisse, nec nimis urguenda esse auctoris verba putaverim. Rectius autem in hoc haeruissent, quod AMMIANUS MARCELLINUS nomen fluminis a Cyro mutatum fuisse scribit, cum "ereptum ire regna Scythica destinaret". Videatur igitur illud vocabulum amni attributum esse, cum Cyrus contra Massagetas celeberrimam expeditionem suscepturus, eum trajiceret. Sed primum Cyro, subacta Babylone versus orientem ad debellandos Massagetas proficiscenti [63]), Cyrus Atropatenes nullo modo trans-

63) Cf. HEROD. I, 201.

transeundus erat; deinde si vel maxime trajecisset, quot quantaque alia flumina ipsi erant trajicienda, quibus nomen suum dedisse multo honorificentius erat Cyro regi, quam mediocri isti amni! Trahendus huc est STRABONIS locus [64]), qui forsitan aliquid lucis affundere potest. Scribit auctor: Ἔστι δὲ καὶ Κῦρος ποταμὸς, διὰ τῆς κοίλης καλουμένης Περσίδος ῥέων, περὶ Πασαργάδας, οὗ μετέβαλε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς ἀντὶ Ἀγραδάτου μετονομασθεὶς Κῦρος. Quod, quamvis paullo insolentius dictum, Cyrum amnem Persidis Agradatem ex suo nomine vocasse, significat. [JAC. PALMERIUS duritia hujus loci offensus vulgarem tuetur lectionem οὗ μετέλαβε etc. ut ex nomine fluvii istius Cyri, denominatus sit rex, cum antea Agradates adpellaretur. Quod ex HERODOTO quodammodo firmari potest [65]). Is enim Cyrum decennem nondum nomen suum habuisse narrat; quapropter cum ista aetate in Persidem missus esset, nomen

64) Lib. XV. p. 1060.
65) Lib. I. c. 114.

nomen ibi ex fluvio sumere potuit. Pro qua tamen re cum nulla auctoritas certet, sed contra ex allato AMMIANI loco constet, fluvio cuidam Cyrum nomen indidisse suum, priori sententiae subscribo]. Praeterea cum testimonio summorum recentioris aevi, qui istas regiones peragrarunt, auctorum TAVERNIRIO et LEBRUYN, quorum ille amnem urbem Schiras praeterlabentem Cur seu Cyrum nominat, hic vero [66]) plures ejusdem nominis amnes Persidis adfert [67]); quum, inquam, vulgatum fuisse nomen illud amnium in Perside, satis constet: STRABONIS insuper auctoritate confirmatum, verosimillimum videtur, Cyrum regem Persidis fluvium, vel plures forsitan sibi vicinos, non vero istum Mediae amnem, suo nomine adfecisse. Illud vero, Cyrum flumini nomen dedisse, "cum ereptum ire regna Scythica

66) LEBRUYN voyage en Perse tom. IV. p. 395.
67) De Cyro Persidis cf. DIONYS. u. ASII PÉRIEG. v. 1073. cui est Κῦρος et AVIENUS. v. 1214.

Scythica destinaret", ex propriis inventis, nec ulla historica auctoritate nisum addidisse AMMIANUM, non solum ex *iis* quae attulimus, sed inde quoque patet quod, cum errore deceptus de Mediae amni longinquo atque ignobili narrasset ea, quae de Persidis aliquo fluvio, quem vel ipsius Cyri arrogantia, vel adulatorum officiosa sedulitas isto honore adficiebat, narranda omnino fuissent: non habebat aliam, quam afferret mutati nominis causam; sic parum considerate, septentrionali forsitan illius Cyri cursu inductus, adjecit id, quod cum *veritate* nullo modo conciliari poterit. Sequitur:

XI. *Cămbyses.* Ultimus jam Mediae fluvius secundum PTOLEMAEUM [68]), et fere Albaniae finem tangens. Fontes sub gr. long. 80° lat. 41°. Ostia in mari Caspio long. 81°, lat. 42° 45′. AMMIANUM MARCELLINUM ejus mentionem facere modo vidimus. An vero POMPONIUS MELA hunc PTOLEMAEI Cambysem innuerit [69]), dispiciemus

68) Cf. lib. VI. c. 2. tab. V.
69) Lib. III. c. 5.

ciemus suo loco, cum de Cyro Albaniae sermo erit. Apud STRABONEM nihil de eo memoratum invenies. Maxime memorabilis de Cambyse locus legitur apud PLINIUM [70]), in quo Cambysem Albaniae fluvium facit, eumque e Caucasiis montibus, inter Cyrum Albaniae et Albanum, in mare Caspium deducit. Quod quia arctissime cum loco supra laudato POMPONII MELAE cohaeret, infra recensebimus. Sequitur:

XII. *Araxes.* Omnium, qui mari Caspio illabuntur, fluviorum nullus ingenia doctorum virorum tantopere vexavit, quantum Araxes fluvius: cujus quidem rei ea praecipua causa est, quod nomen Araxis ad tot flumina est translatum [71]). Ut aliqua tantum exempla exhibeamus, Scholiastes

70) Lib. VI. c. 13. ibique HARDUINUS et BOCCATIAS de fluminibus sc. Cyrus et Cambyses.

71) Cf. ROLANDUS de paradiso c. 17 et D'ANVILLE des fleuves du nom Araxe in Memoir. de l'Acad. des Inscr. tom. XXXVI.

ſtes vetus APOLLONII RHODII [72]) Thermodontem vocatum fuiſſe Araxen narrat et Peneum STRABO [73]). Idem vocabulum inditur Phaſidi [74]). Confunditur Araxes cum Oxo a ſcriptoribus Byzantinis [75]). Qui error ſcriptorum inde omnino ortus eſt, quod Aras Perſis omnino eſt nomen adpellativum, quod cuivis rauco et ſonanti fluvio indunt, ut eſt apud Indos Ganges, Gothos Albis [76]). Quapropter ut diſputationem de Araxe accuratius inſtituamus, ſecernamus ante omnia fluvios quosdam, qui a ſcriptoribus antiquis ſolemni vocabulo Araxis inſigniuntur.

Primus eſt *Araxes Meſopotamiae*, de quo adeundus eſt XENOPHON [77]). Alter eſt

72) Argon. lib. IV. v. 133.

73) XI. p. 803.

74) Cf. CONSTANT. PORPHYR. de adminiſtratione Imperii c. 45. et THEOPHYLACTUS SIMOCATHU p. 75.

75) Cf. DU CANGE in not. ad NICEPHOR. BRYENNIUM. lib. I. p. 201.

76) Cf. KAEMPFERI amoenitt. exot. p. 299.

77) De expedit. Cyris min. lib. I. c. 4. v. 19 et CELL. lib. III. c. 15. p. 718.

est *Araxes Persidos*, quem Alexander trajecit, cum ad Persepolim proficisceretur, eumque CHARDINUS minorem dicit, ut ab Araxe Armeniae dignoscatur[78]. Tertius est *Araxes Armeniae*, de quo nunc est maxime disputatio nostra. His accedit quartus *Araxes Herodoteus*, qui cum ad mare Caspium pertineat, jure suum hic sibi locum vindicat.

A. *Araxes Armeniae.* *Nomen* ejus a variis scriptoribus varie effertur. A plerisque vocatur Ἀράξης; a STRABONE interdum Ἀράξος[79]. Genitivus autem Ἀράξου ab utroque nominativo derivari potest. Legitur vero apud APOLL. RHODIUM[80] Λύκος; *Ὅς τ' ἀποδικνύμενος ποταμοῦ κελάδοντος* Ἀράξεω, quod atticum est Ἀράξου. Apud scriptores Byzantinos, v. g. apud ZONARAM

78) Cf. STRABO lib. XV. 1061. DIODOR. SIC. lib. XVII. c. 69. CURT. lib. V. c. 4. v. 7. CHARDIN voyage en Perse tom. IX. BOCHARTI Phaleg. lib. II. c. 2. p. 80.

79) Cf. XI. p. 780.

80) Argon. lib. IV. v. 13.

NARAM [81]) legitur nomen Ἄραξις, gen. Ἀράξιδος. PLUTARCHUS in Pompejo [82]): περὶ τὸν Ἄραξιν. Idem tamen in Antonio [83]): ἐπὶ τὸν Ἀράξην. Nomen hoc fluvio inditum ab Araxo, Pyli filio, qui se in eum praecipitem dederit, refert Auctor libelli istius de montium et fluviorum nominibus, qui vulgo PLUTARCHI nomine circumfertur [84]). At omnes fere apud eum amnes ea ratione nomina sua nanciscuntur. Melius STRABO [85]): τὸν δὲ Ἀράξην κληθῆναι νομίζουσι διὰ — τὸ ἀποῤῥῆξαι. — Idem asserit EUSTATHIUS in scholiis ad DIONYSIUM PERIEGETAM [86]): ὡς ἀπαράξας τὴν συνέχειαν τῶν ἐκεῖ ὀρῶν καὶ διεκδύς. Et Scholiastes ad Prometheum vinctum [87]) derivat: ἀπὸ τοῦ ἀράσσειν. Hos omnes tamen etymologia latuit, quod didi-

timus

81) Lib. XVIII. c. 25.
82) P. 1163.
83) P. 1719.
84) HUDS. geogr. min. tom. II.
85) XI. p. 803.
86) V. 739.
87) V. 716.

citrius e KAEMPFERI amoenitatibus exoticis; unde JENKINSONIO, CHARDINO, TAVERNIRIO vocatur: Arasf; ABULFEDAE et geographo Nubiensi EDRISIO: Rhos [88]).

Fontes hujus Araxis ponit PTOLEMAEUS [89]) in montibus Armeniae majoris sub gr. long. 76° 30′ lat. 42° 30′. Consentit fere cum eo STRABO [90]): εἶτ' ὁ Ἄβος, ἀφ' οὗ καὶ ὁ Εὐφράτης ῥέει καὶ ὁ Ἀράξης, ὁ μὲν πρὸς δύσιν, ὁ δὲ πρὸς ἀνατολάς [91]). PTOLEMAEUS vero hunc Abum montem paullo propius meridiem collocat sub gr. lat. 41°. Ex eodem vero, ex quo Euphratem, monte et Araxem derivat. PLINIUS [92]) diligentius utriusque fontis distantiam ad sex millia passuum aestimat. Ex diversis specubus eum, uti Euphratem, scaturire

88) Cf. TSCKUCKE ad MELAM lib. III. c. 5.
89) Lib. V. c. 13. tab. III. Af.
90) XI. p. 799.
91) Idem profitetur PLUTARCHUS in vita Pompeji p. 1163.
92) Hist. nat. lib. VI. c. 9.

turice auctor est Paulus Orosius [93]), Olearius [94]) e monte Ararat Araxem provenire scribit. Inter omnes tamen recentiores Tavernierius diligentissime fontes Araxes descripsit [95]). Is nempe montem, qui veteribus Abos, ex quo Euphrates in occidentali latere defluit, in Armeniorum lingua vocari Mingol, seu Bingkol, refert. Ex eodem vero monte, secundum Tavernierium defertur rivus Kars in orientali ejus parte, praeteritque urbem Kars sub gr. long. inde ab insula Ferro 78° 40′; lat. 42° 40′ sitam, et cursum suum versus orientem continuat, donec quindecim milliaria ab urbe Erivan amnis Aras sive Araxes ipsi miscetur. Ipse Aras vero ex monte Bingkol, unde et Euphrates, decurrit, qui igitur veterum Abos est, sed e monte quodam isto magis orientem versus sito defertur; tuetur tamen post mixtionem cum fluvio Kars nomen suum Arax seu Araxes.

93) Lib. VI. c. 4.
94) Persian. u. Moscow. Reis. lib. VI. c. 7.
95) Persian. R. lib. I. c. 2.

xes [96]). Videmus igitur veteres proprie istum Kars pro Araxe habuisse, quamquam in his nihil argutandum. Mons enim iste Mingol seu Binkol, uti recentiores scribunt, communis tot rivulorum origo et ab Armeniis suo nomine, montem mille fontium designante adfectus, ad ingentem istum montium tractum pertinet, qui totam Armeniam fere implet; quapropter paullo latius patet, et nunc mons Kars, nunc Araxes nuncupatur, ut omnino de fontibus Araxis nulla inter veteres sit dissensio [97].

Nec de *cursu* Araxis pugnant auctores. Omnes enim in eo consentiunt, eum fere mediam Armeniam orientalem permeantem ad mare Caspium pergere. APPIANUS eum paullo propiorem Mediae facit [98]: ἐπὶ τὸν Ἀράξην ποταμὸν ἧκον ὁρίζοντα Μηδίαν καὶ Ἀρμενίαν· ἐφαίνη δὲ καὶ βάθει καὶ ταχύτητι χαλεπός. Quod verbotenus legitur

96) Cf. TOURNEFORT voyage tom. III. p. 293 et CHARDIN voyage en Perse tom. I. p. 285.
97) De HEROD. v. infr.
98) De bellis Parth. p. 163 ed. HENR. STEPH.

tur apud PLUTARCHUM in vita Antonii [99]). STRABO curſum ejus deſcribit hiſce [200]): ὁ μὲν Ἀράξης πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἐνεχθεὶς μέχρι τῆς Ἀτροπατηνῆς, ἐπικάμπτει πρὸς δύσιν καὶ πρὸς ἄρκτους καὶ παραῤῥεῖ τὴν Ἀζάραν πρῶτον, εἶτ' Ἀρτάξατα πόλιν Ἀρμενίων· ἔπειτα διὰ τοῦ Ἀραξηνοῦ πεδίου πρὸς τὸ Κάσπιον ἐκδίδωσι πέλαγος. Cum eo adprime conſentit PTOLEMAEUS [1]). Idem fere Arabes. EDRISI in geographia Nubienſi [2]): "Armeniae terram adluunt duo flumina magni nominis Rhos et Kor (i. e. Aras et Kur ſive Araxes et Cyrus) ambo ex occaſu ad ortum fluentes [3]). Nec latuit illud Ἀραξηνὸν πεδίον POMPONIUM MELAM, qui [4]) ſcribit: Araxes "dimiſſus Tauri latere per Armeniam placidus primum it, deinde rupibus preſſus ſumma celeritate, deinde

99) P. 1719.

200) Lib. XI. p. 799.

1) Lib. V. c. 13 et D'ANVILLE geogr. ancienne II. p. 98.

2) Clima V. pars 7.

3) Cf. BOCHARTI Phaleg. p. 213.

4) Lib. III. c. 5.

deinde iterum per campos tranquillus et tacitus in id litus elabitur". Cum hisce consentiunt recentiores, v. g. OLEARIUS (lib. VI. c. 7.), qui Araxem, postquam ignobiles quosdam rivos Karasu, Sengni, Arpasu excepit, per altissimas rupes ad urbem Ardubat delapsum placide versus mare pergere refert; eundem tamen ineunte vere, cum nives solvantur, totam circumjacentem terram, sine dubio illud Ἀραξηνὸν πεδίον, cujus fertilitas inde derivanda, inundare scribit, quod nec antiquis temporibus aliter se habebat teste STRABONE, qui [5]) scribit: μάλιστα δέ φασι τὸν Ἀράξον ποταμὸν κατακλύζειν τὴν χώραν πανταχῆ σχιζόμενον, nisi de Jaxarte loquitur.

De ostiis vero Araxis, ne quid deesset de quo auctores inter se pugnarent, jam apud ipsos veteres magna dissensio; videatur PLUTARCHUS in Pompejo [6]): Κύρνος ποταμὸς ... δεχόμενος κατίοντα τὸν Ἀρά-

ξιν

5) XI. 780.
6) (P. 1164.)

ξιν . . . . οἱ δὲ οὐ φασὶν τούτῳ συμφέρεσθαι τὸν Ἀράξιν, ἀλλὰ καθ' ἑαυτὸν, ἐγγὺς δὲ ποιεῖσθαι τὴν ἐκβολὴν εἰς τοῦτο πέλαγος. Appianus [7]: πολλῶν ἐς αὐτὸν (Cyrum) ἐμβαλλόντων ποταμῶν καὶ μεγίστου πάντων Ἀράξου. Plinius [8]: "Araxes a Cyro defertur in mare Caspium, ut plures existimavere (in hoc quadrat Arriani locus [9]). Idem sentit geographus Nubiensis [10]) quippe qui: "confluit Cor cum flumine Rhos" scribit. Contra vero Strabo [11]) expressis verbis dicit: πρὸς τὸ Κασπίον ἐκδίδωσι πέλαγος et εἰς τὴν Κασπίαν ἐμπίπτει θάλασσαν. Eadem Pomponii Melae sententia esse videtur [12]) cum scribit: in id littus elabitur". Utrumque conciliare conatur Ptolemaeus qui [13]) de Araxe: τῇ μὲν εἰς τὴν Ὑρκανίαν ἐκβάλλει, τῇ δε συμβάλλει

7) De bellis Mithrid. p. 242.
8) Hist. nat. lib. VI. c. 9.
9) Lib. VII. c. 16. v. 6.
10) Clima V. pars 6.
11) XI. p. 799. 800.
12) L. c.
13) Lib. V. I. 13.

βάλλει τω Κύῤῥω ποταμῷ, ponitque ostia ejus in mari Caspio sub gr. long. 79° 45′ lat. 43° 20′ mixtionem cum Cyro long. 68° 30′ lat. 44° 30′[14]). Nostris quidem temporibus constat Araxem omnino cum Cyro seu Kur commisceri sub gr. lat. 40° 5′ long. 65° 20′ ad urbem Dschawat[15]) sex milliaria remotam a mari Caspio. TAVERNIRIUS[16]) paullo inconsideratius confluentes cum Cyro pro ostiis Araxis posuit, cum biduo itinere ab urbe Schamachich in mare Caspium Araxem illabi scribit, quod nonnisi de mixtione cum Cyro accipi potest; ipse enim Cyrus ultra viginti inde ab urbe Schamachich in mare exit. Istius autem veterum quorundam scriptorum de peculiari Araxis ostio erroris fontem ipse STRABO, ni fallor, satis luculenter indicat. Scribit enim[17]) Cyrum duodecim

14) Cf. CELL. orb. antiq. lib. III. pc. 20.
15) OLEAR. lib. VI. c. 7.
16) Persian. R. lib. I. c. 2.
17) XI. p. 766.

decim ostiis exire, partim quidem coecis, partim vero late patentibus; ingentem praeterea limi copiam secum ferre adeo ut quasi agger littori praestruatur. Non igitur dubitandum, quin tale Cyri ostium pro Araxis in mare Caspium exitu habuerint; idque eo firmatur, quod STRABO [18]) adjicit: πλησίον δὲ, sc. Cyro, καὶ ὁ Ἀράξης ἐμβάλλει. Cogitari quidem posset revera aliquando Araxem proprio alveo in mare effluxisse, qui procedente tempore oblimatus esset. Cui neutiquam obstat, quod STRABO [19]) scribit: ἣν δὲ ἐκεῖνος προωθεῖ χοῦν, πορευτὸν ποιῶν τὸ ῥεῖθρον, ταύτην ὁ Κῦρος ἀναπληροῖ. Ex quo sequi videtur, Araxem nullum limum secum ducere. In quo quidem erravit STRABO de Araxe negans, quod de Cyro adfirmat. Uterque enim fluvius ex iisdem montibus prorumpens, simillimas sibi terras percurrit. Sed si vere proprium exitum aliquando habuisset Araxes, ejus certe vestigia quaedam mansissent,

18) Ibidem.
19) Ibidem.

ſent, ut in Oxo et Padkuma videre eſt: deinde cum ſemel ad ſeptentrionem vergeret, omnes enim veteres: κάμπτει πρὸς δύσιν καὶ πρὸς ἄρκτους, propter interjacentes montes fieri non potuit quin in Cyrum Araxes incideret. De Araxe Perſidis conferatur KAEMPFERUS [20]).

B. *Araxes Herodoteus* [21]). Ante omnia videamus HERODOTI de Araxe loca, quippe in quibus totius rei cardo verſatur; unde ea integra lectoribus ante oculos ponere placet [22]): Ὡς δὲ τῷ Κύρῳ καὶ τοῦτο τὸ ἔθνος, Babylonium cogita, κατέργαστο ἐπεθύμησε Μασσαγέτας ὑπ' ἑωϋτῷ ποιήσασθαι, ἔθνος τοῦτο οἰκημένον πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου

20) KAEMPFERI amoenit. exot. p. 299.

21) Cf. DE LA NAUZE ſur l'Araxe des Maſſagetes ſelon Herodote in Acad. Inſcriptionum tom. XXXVI et DE GUIGNES ſur l'erreur d'Herodote ſur l'Araxe ibid. S. CROIX mémoire ſur le cours de l'Araxe et du Cyrus in Mémoir. hiſtor. et geogr.

22) Lib. I. c. 201 et ſq.

ἡλίου ἀνατολὰς [23]), πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ, ἀντίον δὲ Ἰσσηδόνων ἀνδρῶν· εἰσὶ δὲ οἵτινες καὶ Σκυθικὸν λέγουσι τοῦτο τὸ ἔθνος εἶναι. — Ὁ δὲ Ἀράξης λέγεται καὶ μέζων καὶ ἐλάσσων εἶναι τοῦ Ἴςρου· νήσους δὲ ἐν αὐτῷ Λέσβῳ μεγάθεα παραπλησίας συχνάς φασιν εἶναι. — Ὁ δὲ Αράξης ποταμὸς ῥέει μὲν ἐκ Ματιηνῶν ὅθενπερ ὁ Γύνδης· ςόμασι δὲ ἐξερεύγεται τεσσαράκοντα, τῶν τὰ πάντα πλὴν ἑνὸς ἐς ἕλεά τε καὶ τενάγεα ἐκδιδοῖ — τὸ δὲ ἓν τῶν ςομάτων τοῦ Ἀράξεω ῥέει διὰ καθαροῦ ἐς τὴν Κασπίην θάλασσαν — denique [24]): τὰ δὲ κατύπερθε Περσέων καὶ Μήδων καὶ Σασπείρων καὶ Κόλχων τὰ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα, ἔνθεν μὲν Ἐρυθρὴ παρήκει θάλασσα· πρὸς βορέω δὲ ἡ Κασπίη τε θάλασσα καὶ ὁ Ἀράξης ποταμὸς, ῥέων ἥλιον πρὸς ἀνίσχοντα. Irritus certe labor eſt haecce de Araxe Herodoti loca, quam maxime inter ſe pugnantia

23) Idem afferit auctor 204 et 205. 209. lib. III. c. 36. lib. IV. 11.

24) Lib. IV. c. 40.

tia conciliare, et qui omnia ad unum idemque flumen referunt, uti BOYERUS in dissertatione de origine et priscis sedibus Scytharum [25]) et WALCHIUS in commentatione ad Cyri expeditionem in Massagetas [26]) ad Volgam, vim non solum auctoris verbis verum etiam toti geographiae inferunt. Etenim ex iis, quae ex HERODOTO apposuimus, diligenter perlectis adparet, de diversis quatuor fluviis auctorem loqui. Cum enim dicit trans Araxem incoluisse Massagetas, *Jaxartem* dicit. Quod vero dubitari refert, an Araxes major minorve Istro sit, quod multas insulas Lesbo aequales habeat, hoc prorsus *Rha fluvio* sive *Volgae* convenit. Idem tamen Araxem ex montibus Matianis versus ortum solis fluentem facit; hoc ad nullum alium nisi ad *Araxem Armeniae* jure referri potest. Quadraginta denique ostia, quorum unum tantum aperto in

25) In Comment. Petrop. tom. I. p. 393. sive in ejusd. Opusculis ed. a KLOTZIO p. 69.
26) Goetting. 1767. 4.

in mare Caspium exeat, cetera omnia vero paludibus hauriantur, in *Oxum* quadrare melius certe quam in Volgam, quod alii volunt [27]), pluribus demonstraturi sumus. Scio equidem majorem omnino doctrinam majusque requiri acumen, ut unum eundemque tantummodo Araxem innuisse Herodotum demonstretur. Quid? quod ipsa Herodoti de Araxe loquendi ratio, conjungit enim, ut vidimus, omnia arctissime, illud manifesto suadere videtur. Nihilominus tamen, si interpretationis simplicitatem magis quam subtilitatem spectemus, *multa* sunt quae plura flumina Herodoto obversata fuisse, cum illud scriberet, aperte demonstrent. Primum enim nulla prorsus apud Herodotum istorum quatuor fluminum Oxi, Jaxartae, Volgae et Araxis Armeniae fit mentio, si ista loca ad hos fluvios non trahimus. Atqui fieri certo non potuit ut Herodotum, vel ulteriorum regionum bene gnarum, tot tantaque flumina, nulli scriptorum non memorata, prorsus laterent.

27) C. I.

laterent. Cujus rei haud levissimum argumentum hoc est, quod HERODOTUS septemtrionalem maris Caspii recessum diligentissime exploratum habebat, qui, uti supra jam vidimus, hoc mare clausum esse contendit, nec septemtrionales fauces agnoscit. Deinde ipsum nomen HERODOTEI fluvii "Araxes, pro nostra opinione pugnat, quod, uti supra jam docuimus, pluribus fluviis raucis et rapidis inditum, manifestissime caussam istius HERODOTI erroris indicat. Auctor enim cum de Araxe, nomine celeberrimo, multa eaque certa audivisset, non sentiens haec varia diversis esse fluviis tribuenda, omnia simul complexus nobis in istis locis exhibet, ignarus Araxem nomen adpellativum, non vero proprium esse. Apparet hoc ex eo, quod dicit HERODOTUS se audivisse Araxem esse majorem et minorem Istro, i. e. incertum esse an Ister major minorve sit Araxe; sed vera causa fuit, quod de duobus fluviis audiverat, quorum alter v. c. Armeniae Araxes minor, alter v. c. Volga major erat Istro. Luculentis-

lentissime denique veritatem opinionis nostrae evincit, quod pluribus nunc demonstrare nostrum est, irritus iste variorum scriptorum, ad unum fluvium omnia ista de Araxe HERODOTI loca trahendi conatus. Nemo quantum scio de alio quodam fluvio cogitavit, quam de Oxo, Jaxarte, Volga sive Rha et Araxe Armenio. Jam vero videamus, num in aliquem horum fluviorum quadret quod de Araxe HERODOTUS dicit.

Inter eos qui Araxem HERODOTEUM, Oxum esse putavere, eminent, ISAACUS VOSSIUS 28) et DANVILLIUS 29). Sed quamvis multa sint proferenda nobis, cum e re nostra dicemus, quae pro Oxo pugnant, nescio tamen quo pacto illud quod ex Matianis montibus profluat, versus ortum cursum teneat, insulas Lesbo aequales comprehendat, conciliari cum Oxo possit; nec non verisimillimum est, Massagetas, quorum quidem, cum vagarentur, sedes consi-

28) Ad MELAM, lib. III. c. 5.
29) In Arcad. inscriptione tom. XXXVI.

constituere difficillimum, non ad Oxum sed longinquius ad Jaxartem habitasse; praesertim cum HERODOTUS [30]) Massagetas planitiem vastissimam incolere scribat, cujus πλῆθος ἄπειρον ἐς ἄποψιν. Quod melius ad Jaxartem vicinaque ejus loca, quam ad Oxum et ad Bactrianam fertilem ac montibus cinctam, ab orientali certe parte, referri potest. Nititur hoc etiam DIONYSII ALEXANDRINI auctoritate [31]), qui pariter Araxem Massagetarum finem constituit, eundem tamen expressis verbis ab Oxo distinguit; quem vero alium fluvium auctor Araxem nominans innuere potuit nisi Jaxartem? Meridiana luce clarius est STRABONEM totum HERODOTI locum expressisse ipsumque Jaxartem quem sexcenties alibi nominat Araxem dicere. At ipse STRABO in eosdem cum HERODOTO errores de Araxe, quamquam de Jaxarte suo meliora edoctus, incurrit, imo in plures. Scribit enim Araxum in plura brachia dividi uti HERODO-

TUS

30) I. c. 204.
31) V. 739.

tus fecit, quod Straboni non condonandum, cum alibi horum canalium Jaxartae nulla apud eum sit mentio, contra eum λαοδογματικῶς in mare Caspium uno ore deducat. Multo pejus autem erravit Herodoto, quod cetera brachia in septemtrionalem Oceanum influere dicit, cum tamen paullo ante Herodoti ista ἕλη ἃ ποιοῦσιν οἱ ποταμοὶ, adferat, ad quae Massagetae habitant, Multos certe Dionis Cassii auctoritas decepit, qui ipse [32]) ancipiti Araxis nomine deceptus de Albanis scribit: εἰσὶ δὲ Μασσαγέται, contra communem ceterorum scriptorum auctoritatem; nunquam enim Albani iidem qui Massagetae dicuntur. Forsitan Dio ipse Herodoti loco in errorem inductus est; cum enim nesciret plures fuisse Araxes, Herodotum tamen Massagetas ad Araxem collocasse videret: Armeniae Araxem eum esse putavit, et Albanos istos in Massagetas transmutavit. Zonaras scribit de Albanis: εἰσὶ δὲ Μασσαγέται κατὰ τὸν Δίωνα. Sed jam videmus, quod demonstrare

32) Lib. LXIX. c. 15. p. 1163 ed. Reimar.

strare voluimus, Jaxartem vocatum fuisse Araxem et, propter ea quae de Massagetis narrantur, Araxem Herodoti Jaxartem potius quam Oxum esse, quamvis de eo Herodotus et Strabo ea narrent, quae ad Oxum pertineant.

Minus etiam in Jaxartem omnia ista possunt transferri; imo praeter cursum fluminis per terram Massagetarum et nomen, omnia pro sententia contraria pugnare videntur. Magnitudo quippe insulae, fontes, brachia, ostia; cursus denique versus orientem nullo modo in Jaxartem quadrant, unde nonnisi paucos de hoc cogitasse videmus.

At multo plures, in his Theophilus Sigefridus Bayerus et Walchius, summa opera ad Volgam sive Rha fluvium omnia referre conati sunt; dubito tamen an meliori jure et feliciori successu. Utuntur autem his maxime quinque argumentis: afferunt situm Massagetarum, magnitudinem fluminis, quadraginta ostia, magnas insulas, et nomen ipsum. Minime quidem negaverim de Rha fluvio seu Volga dicenti

dici

dici omnino posse, Massagetas incolere πρὸς ἠῶ καὶ ἡλίου ἀνατολὰς πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ, si quis in Sarmatia constitutus fuerit; qui vero HERODOTUS sive patriam suam, sive Babylonem, de qua in iis loquitur, respiciens, unde Cyrus expeditionem contra Massagetas suscepturus in Orientem profectus est, dicere potuerit Massagetas habitare trans Volgam non video. Perrexit Cyrus ad Araxem [33]) eoque ponte juncto et trajecto exercitu, Massagetis infert bellum. Adparet igitur Massagetarum terrae terminum istum ipsum Araxem fuisse. At quam ingenti spatio terrarum interjecto remoti sunt Massagetae a Volga fluvio, quot celsissimorum montium invia juga, Caucasi scilicet et Ural fuissent transcendenda Cyro? Ineptissimum omnino cogitare Cyrum, quod prorsus impossibile est, trans Volgam in terram Massagetarum irruptionem fecisse. Quare, nisi nullam ceterorum scriptorum rationem habere volumus, qui ad unum omnes Massagetas ultra

Jaxars

33) C. 205.

Jaxartem ponunt: patet istum HERODOTI Araxem, ad quem Massagetae, non esse Volgam sive Rha fluvium, sed Jaxartem potius. Quod HERODOTUS de insulis et magnitudine Araxis dicit, hoc unum est quod in Volgam quadrat. Diu enim etiam recentioribus temporibus dubitatum est, an Volga major sit Araxe necne. Quadraginta illa ostia commode ad Rha fluvium trahi possent, qui plura potius, quam pauciora habet, nisi hoc additum esset, uno tantum eum in mare Caspium exire ostio, reliqua vero paludibus absorberi. Quod quidem istam opinionem prorsus evertens ut commemorem, auctor est BAYERUS. Unum reliquum argumentum, e similitudine nominis petitum, per se satis infirmum esse, nemo non videt. Araxis enim nomen in Rha latere, non minus verum esse potest, quam illud aquas Sextias in Aix transire. Quis vero aliis argumentis haud exstantibus, huic uni disputationem superstruere velit? Est tamen hujus levitatis accusandus vir cl. LARCHER, in commentario ad HERODOTUM.

DOTUM[34]). Tali certe etymologico documento veritas nec firmatur nec minuitur. Ceterum negari non potest, uti infra mox videbimus, Rha fluvium vocari Araxem apud veteres auctores, sed hoc contra istas rationes nihil valet, cum, quod jam diximus, multi fluvii Araxis nomine insignirentur[35]). Accedit ad hoc, quod auctor Araxem suum e Matianis montibus derivat, versusque orientem cursum tenere scribit, quorum neutrum in Volgam quadrat. Profluit enim e septemtrione et tendit versus meridiem. Sed hoc auctores vix animadvertisse videntur. Quae cum ita sint, quamquam BAYERUS eum tantummodo Araxem pro Volga non habiturum esse scribit, "cui visum sit quoque meridie non lucere": confitemur tamen aciem oculorum nostrorum hebetiorem esse, quam ut ista argumenta perspicere possimus.

Ad Araxem Armeniae HERODOTEUM istum pertinere inter alios vir clarif. ST. CROIX

34) I. 202. et tom. VIII. f. v. Araxes.
35) C. p. 103.

Croix in commentatione de cursu Araxis et Cyri omni studio probare tentavit, quippe unum tantummodo Araxem, illum nempe, qui ex monte Abo procurrat, in mare Caspium aquas suas infundere; quod quidem infirmissimum, etsi verum esset, argumentum, etiam falsissimum est uti mox adparebit. Prope hunc Araxem Armeniae Massagetas sedes suas habuisse, ibi pugnam cum Massagetis commissam et Cyrum mortem invenisse: hoc tum ipsi Herodoto tum omnino geographiae et historiae manifestissime repugnat: Unius enim Dionis Cassii ambigua auctoritas, uti vidimus, haec firmare nullo pacto potest.

Refutata luculentissimis, ni fallor, argumentis eorum sententia, qui ista Herodoti verba ad unum istorum quatuor fluviorum referri posse putant: restat jam, ut, quod facillimum erit, demonstremus, omnia, quae Herodotus de istis quatuor fluviis noverat, in istis locis de Araxe contineri, vereque omnes istos fluvios ab auctore designari. Primum igitur illud quod dicit

Araxem quadraginta quidem ostiis se effundere, sed uno tantum διὰ καθαροῦ in mare Caspium, reliquis vero omnibus in paludes: nullum sane alium fluvium designat, quam Oxum. Istius enim alvei qui in mare Caspium deferebatur, uti supra jam docuimus, hodieque supersunt manifestissima vestigia in illo Rud-Chane-Kurkan, vetere meridionali Oxi brachio, quo olim aquas mari Caspio immittebat, quod summus vir S. P. PALLAS pro alveo regressarum aquarum Caspiacarum falso habuit. Alterum vero brachium, ut supra didicimus, versus septentrionem detorquet Oxus in lacum Aral, in quem, non quadraginta quidem ostiis, at plurimis tamen influit. Itaque vadosa et paludosa loca circa lacum Aral sunt ista ἕλεα et τενάγεα quibus secundum HERODOTUM cetera Araxis ostia hauriuntur. Talia enim in occidentali Massagetarum terrae parte fuisse expressis verbis refert etiam STRABO [36]). Ἄραξον levi discrimine, vocat eumque κατακλύζειν τὴν χώραν πανταχῆ

36) Lib. XI. p. 780.

ταχῇ σχιζόμενον ἐκπίπτοντα μὲν τοῖς μὲν ἄλλοις στόμασιν, εἰς τὴν ἄλλην τὴν πρὸς ἄρκτους θάλασσαν, ἑνὶ δὲ μόνῳ πρὸς τὸν κόλπον τὸν Ὑρκάνιον. Quod vero ipsa quadraginta ostia non inveniuntur, parum interest, quippe plurima esse sufficit eaque maxime vadosa; Volga vero ad quam plures hoc referunt, ultra octoginta habet. Scimus autem in his atque similibus numeros augeri potius solere quam imminui. Accedit quod priscis istis temporibus plura etiam Oxo fuerunt ostia; procedente tempore ingenti limi copia, quam Oxus secum vehit [37]) obstructa et arefacta, uti totum illud ejus brachium Rud - Chane-Kurkan. Praeterea vero Oxum ante victorias Alexandri M. Araxem fuisse vocitatum, docuit Isaacus Vossius [38]).

Non minus certum est istum Herodoti Araxem, ad quem Massagetas collocat, et quem Cyrus in expeditione contra illos

trajecit

37) Cf. supra.

38) Ad Melam lib. III. c. 5.

trajecit esse Jaxartem. Tum enim ex ipsius HERODOTI Massagetarum terrae descriptione, tum ex STRABONE [39]) ubi manifesto Araxem per Massagetarum terram ducit, tum denique ex aliorum scriptorum de sede Massagetarum narrationibus luculentissime adparet, verum esse quod contendimus. Argumenta vero cum paullo ante allata sint, nunc denuo apponere nolumus. — Optimo jure autem suam sibi partem vindicat Rha fluvius seu Volga, quippe in quam solam insulae istae ingentes et magnitudo alvei referri possunt, de quibus infra plura adferemus; nunc unum hoc addamus, quod summorum auctorum fide constat, hunc Rha fluvium olim vocatum fuisse Araxem. ARISTOTELES [40]) Araxem quendam e Paropamiso, falso scripsit Parnasso, derivat de quo scribit: Τοῦτον δ' ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὢν εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην. Patet hunc Araxem nullum alium esse posse quam Volgam, quippe cui Tanais sive Don fluvius

89) XI. p. 780.

40) Meteorol. lib. I. c. 13.

fluvius proximus. Quod vero hunc amnem ex eodem monte ex quo Indum et Choaspen, derivat, condonandum philosopho, istarum regionum et Paropamisi jugi haud perito. Idem asserit Anonymus in Periplo Ponti Euxini et Maeotidis[41]): Τάναϊς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ λαβὼν τὸ ῥεῦμα Ἀράξεως. Addit quidem Ephorum perhibere e palude quadam eum profluere, ἧς τὸ πέρας ἐστὶν ἄφραστον. Nos quidem, meliora edocti, scimus fieri nullo modo posse, ut Tanais ex Rha fluvio profluat; quippe, quod supra jam saepius diximus, in istis regionibus ad Zariza seu Dmitruvek, ubi Tanais proxime ad Volgam accedit, istum fluvium hoc septuaginta modulis esse inferiorem constat; quare ARISTOTELES et incertus auctor Peripli Ponti Euxini rectius Volgam ex Tanaide derivare potuissent. Nihilominus, tamen illud non tam ineptum est neque ex sola vicinitate fluviorum ortum. Forsitan enim innuitur fossa ista, quam

41) In HUDSONI Geogr. min. tom. I.

quam a Scytharum servis ductam esse ex HERODOTO constat [42]) et quia Scythas ad mercaturam in utroque flumine faciendam usos probabile est. Tanaidos et Volgae confluentes memorat etiam THEOPHANES in chronico suo. Quod verum esse quodammodo recentiori tempore docuit OLEARIUS [43]). Scribit enim infra Zarizam insulam parvam esse nomine Serpinske, prope quam rivus quidam e Tanaïde in Volgam profluat levibus quidem navigiis aptus. Hoc rescivit OLEARIUS ex ipso gubernatore et remigibus qui in hoc rivo navigarant. Hunc rivum vocari Kamvtum refert. Sed quocunque modo hoc sese habeat, hoc certe patet ARISTOTELEM et incertum Peripli auctorem Rha fluvium per Araxem designare voluisse. Praeterea ex Geographo Nubiensi [44]) constat Araxem vocari Arabibus Rhos [45]). At eodem nomine adpellat Agatheme-

42) Lib. IV. c. 3. 20. 28.

43) Persian. u. Moscow. R. lib. IV. c. 9.

44) Clima V. p. 7.

45) Cf. BOCHARTI Thaleg. lib. III. p. 213.

themerus[46]) Volgam sive Rha fluvium. Enumerans enim fluvios mari Caspio illabentes inde ab oriente, scribit: εἰς τὴν Κασπίαν θάλασσαν ἴενται Ὄξος, Ἰαξάρτης, Ῥύμμος, Ῥὸς, Κῦρος, Αράξης. Est igitur Rhos Volga, Arabibus Araxes dictus, haud secus ac Araxes Armeniae. Quae igitur HERODOTUS de Volga fluvio comperta habuit, ea hic de Araxe tradit; eum alio nomine, istum non cognovisse vel inde patet, quod inter octo illa flumina Scythica, quae HERODOTUS libro quarto[47]) recenset, non refertur.

Operae pretium non est accuratius demonstrare, HERODOTUM in istis Armeniae quoque Araxem innuisse, quippe quod fontes in Matianis montibus et cursus versus orientem, quod in nullum istorum fluviorum quadrat, apertissime ostendunt.

Haec

46) In compend. expos. geogr. lib. II. c. 10. in HUDS. geogr. tom. II.

47) C. 48.

Haec quidem est, nostra de Araxe HERODOTEO sententia, ex qua omnia ista, quae dicit summus auctor, intacta manent, nec ullo modo torquentur, sed in quatuor partes secernuntur, ut ipse HERODOTUS mihi fecisse videtur. Primum enim loquitur de Jaxarte in omnibus iis quae de Massagetis refert. Deinde cum magnitudinem et insulas describit Volgam in mente habet. Porro quae de ostiis referuntur (quibus omnino errore deceptus veri Araxis fontes admiscet), ad Oxum pertinent. Libro quarto denique unius Araxis Armeniae mentionem facit. Haec omnia singula diligenter discrevit nec alia aliis commiscuit. Sequitur:

XIII. *Cyrus, Armeniae.* Distinguendus omnino hic Cyrus Armeniae ab illo Mediae, de quo supra egimus et altero Persidis, qui nihil ad nos, de quo vide STRABONEM [48]), LEBRUYN [49]). Hunc vero TAVERNIRIUS [50]) urbem Schiras praetereuntem

48) Lib. XV. p. 1060.
49) Tom. IV. p. 395.
50) In itin. lib. IV. c. 5.

tem vocat Kur, veteres Κόρος, ut DIONYSIUS in periegesi: χωρὶς μὲν Κόρος ἐςὶ μέγας, χωρὶς δὲ Χοάσπης [51]. Pessime omnia turbavit, quod in Perside Cyrus et Araxes fluunt, uti et in Armenia: [Cujus luculentissimum exemplum hic adferre liceat locum RADERI ex notis ad CURTIUM [52], propter incredibilem auctoris levitatem et inauditam interpretis ignorantiam nulli secundum. Scribit CURTIUS Araxem in Medum effundi; hunc vero a mari meridiem versus evehi. Jam primum inepte haeret RADEUS in eo quod cum Araxes Medo major, ipso CURTIO auctore, sit, non excipiat potius Araxes Medum teste STRABONE qui [53]) scribit: συμβάλλει εἰς αὐτὸν, sc. Araxem, ὁ Μῆδος. Pergit RADEUS, sed cum a mari in meridiem fluat, quo-

51) Cf. SALMAS. Exercit. PLINIAN. p. 702 et 621. et PETRUS DELLA VALLE tom. III, epist. 18.

52) Libro V. c. 4. v. 7.

53) Lib. XV. p. 1061.

quomodo rursus in Septemtrionem versus in Caspium effunditur? "cum enim Araxem excipiat et *Araxes in Caspium delabatur* ubi haeret Medus? STRABONEM sequamur qui Medum in Araxem decidere docet, per quem rursus ad septemtrionem in Caspium devehitur". Patet RADEUM Araxem Armeniae in mente habuisse et insigni stoliditate ipsum quoque Medum per montes Persidis acclives in mare Caspium deduxisse. Praeterea vero apertam STRABONI fecit fraudem; is enim scribit [54]): Φέρονται (Araxes et Medus) δὲ δι' αὐλῶνος παμφόρου συνάπτοντος τῇ Καρμανίᾳ καὶ τοῖς ἑωθινοῖς μέρεσι τῆς χώρας; quod recte se habet; fluunt enim junctis aquis versus orientem in lacum Bachtekaan; de ostiis apud STRABONEM nihil. Sed cogitavit RADERUS de flexione Araxis Armenii versus septemtrionem [55]) cujus STRABO mentionem facit. Sed ut cumulet ingentem errorum suorum farraginem adjicit, hunc esse illum Araxem,

54) C. l.
55) Lib. XI. 799.

Araxem, quem HERODOTUS Istro nunc majorem nunc minorem faciat, et de quo MELA [56]) et PLINIUS [57]) loquuntur].

Nomen nostri hujus Cyri varie effertur. PLUTARCHUS scribit Κύρνος [58]). PTOLEMAEUS: Κύῤῥος. DIODORUS SICULUS et DIO CASSIUS: Κύρνος. STRABO [59]): ἐκαλεῖτο sc. Cyrus πρότερον Κόρος. Ceterum jam antiquissimis temporibus memoratur hic Cyrus. AMOS [60]) Syros deductos esse memorat e Kir, quod interpretantur de regione ad Cyrum, i. e. ex Iberia sita ad fluvium Kir seu Kur [61]). Quamquam alii de regione ista sita ad Mardum sive Amardum intelligunt, quam PTOLEMAEUS [62]) Curena dicit. Arabes quoque cursus hujus fluvii

56) Cl. 3. 5.
57) Lib. VI. c. 9.
58) In Pompejo p. 1164.
59) XI. p. 764.
60) Cap. 9. v. 7.
61) Cf. MICHAEL. supplem. ad. lex. hebr. p. 2191 et Spicileg. geogr. hebr. tom. II p. 121.
62) Tab. V. As.

fluvii minime latet quod ex EDRISII Geographia Nubiensi [63] patet, qui scribit fluvium Kor seu Cyrum ex Caucaso profluentem, urbem Tiflis praeterlabi, vocatam a PTOLEMAEO Zalissam et in mare Chozor exire. BIBERSTENIUS in itinerario suo nomen a Cyro, qui eum trajecisset, huic flumini inditum esse contendit. Quod cum nullis veterum scriptorum nitatur testimoniis, meram eam esse conjecturam putaverim, praesertim cum non sit credibile Cyrum unquam in hasce regiones penetrasse, quod ipsi Alexandro M. non licuit. *Is* enim Escander quem Orientales Dulcarnaim dicunt, diversus ab illo est, quod alio loco jam monuimus [64].

Fontes Cyri PTOLEMAEO collocantur longit. gr. 75° lat. 47° 20′, quod magnopere a vera recentiorum computatione discrepat. GULDENSTADTIUS enim recte fontibus grad. lat. 41° et long. 61° adscribit, ex

63) Clima V. pars 6.

64) Cf. HERBELOTUM in bibl. orient. v. Escandre.

ex eodem enim illo montium jugo Kars, ex quo Araxes et Euphrates, etiam hic profluit; alterum enim Araxis brachium ex monte Bingkol seu Mingkol, qui paullo magis occidentem et meridiem versus jacet, prorumpit. PLUTARCHUS [65]) de Cyro: ὅς ἐκ τῶν Ἰβηρικῶν ὀρῶν ἀνιςάμενος. POMPONIUS MELA [66]) eum ex Coraxicis montibus quos PLINIUS [67]) Ateniochos vocat, derivat. STRABO [68]) de Cyro: ὅς τὴν ἀρχὴν ἔχων ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας. Quae omnia verborum tantum discrimine diversa esse docuit LUNEMANNUS in descriptione Caucasi [69]).

Nec de *cursu* Cyri magna apud veteres auctores dissensio, omnes enim hunc fluvium inde a Colchidis finibus per Iberiam et Armeniae Albaniaeque confinia in mare

65) POMP. p. 1164.

66) Lib. III. c. 5.

67) Hist. nat. lib. VI. c. 9.

68) XI. p. 764.

69) P. 22. ex recentiorib. cf. CHORDINUM voyage en Perse.

mare Caspium fluere dicunt. Dio Cassius[70]) νέμονται δὲ Ἴβηρες ἐπ᾽ ἀμφότερα τοῦ Κύρνου, τῇ μὲν τοῖς Ἀλβάνοις, τῇ δὲ τοῖς Ἀρμενίοις πρόσοροι, et Strabo[71]) ... μεθορίων τῆς τε Ἀλβανίας καὶ μέχρι τῶν τῆς Ἀρμενίας καθ᾽ ἃ ὁ Κύρος καὶ ὁ Ἀράξης ἐκδίδωσι ποταμὸς, ῥέων ὁ μὲν διὰ τῆς Ἀρμενίας, Κύρος δὲ διὰ τῆς Ἰβηρίας καὶ τῆς Ἀλβανίας. Accurate describit Strabo[72]) hodiernam terram Kacheti et Karduel sive Georgiam, quam mediam permeat Kur prope caput regionis Tiflis: in confiniis Armeniae, Iberiae et Colchidis montes Caucasii jugi undique circumfunduntur: ἐν μέσῳ ἐςὶ πεδίον ποταμοῖς διαῤῥυτον, μεγίςῳ δὲ τῷ Κύρῳ ὃς τὴν ἀρχὴν ἔχων ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας εἰςβαλὼν εὐθὺς εἰς τὸ πεδίον τὸ λεχθὲν, παραλαβὼν καὶ τὸν Ἀῤῥαβῶνα κάτω τοῦ Καυκάσου ῥέοντα, καὶ ἄλλα ὕδατα, διὰ ςενῆς ποτα-

70) Hist. Rom. lib. XXXVII. p. 14. ed. Reimarus cap. I.

71) XI. 752.

72) XI. p. 764.

ποταμίας εἰς τὴν Ἀλβανίαν ἐκπίπτει· μεταξὺ μὲν ταύτης τε καὶ τῆς Ἀρμενίας ἐνεχθεὶς πολὺς διὰ πεδίων εὐβοτουμένων σφόδρα δεξάμενος καὶ πλείους ποταμοὺς εἰς τὴν Κασπίαν ἐμβάλλει θάλατταν. Quis non videt illam planitiem fluviis irriguam esse Georgiam, in quam innumeri fere de Caucaso labuntur majores minoresque amnes, qui omnes in Cyrum deferuntur; quorum tamen nomina cum admodum sint ignobilia hic proferre non lubet. De eadem ista planitie Cyri loquitur etiam PLINIUS [73]. Sed uti omnes fere montani amnes, ita etiam Cyrus aestivo tempore tenuissimus est, qui verno tempore ducentas ulnas latus esse perhibetur. De ingenti, quem secum ferat, limi copia, jam supra sermo fuit. Eam tantam esse refert STRABO [74] ut insulas propinquas continenti addiderit, ac litori quingentorum stadiorum aggerem adstruxerit. Idem vero limus fertilitatis caussa est,

73) Hist. nat. Lib. VI. c. 10.
74) XI. p. 776.

est, qua eae terrae, quas permeat, excellere dicuntur.

Ostia habet Cyrus secundum PTOLEMAEUM sub long. gr. 79° 40′, lat. 44° 20′, secundum recentiores tabul. geogr. long. 66° lat. 39°. Videmus igitur in climate istarum regionum constituendo ultra quinque gradus a vero aberrasse PTOLEMAEUM. Attribuuntur duodecim ostia huic Cyro. STRABO [75]) rem incertiorem facit; scribit enim: *καὶ δὴ καὶ εἰς στόματα δώδεκα φασὶ μεμερίσθαι τὰς ἐκβολάς τὰ μὲν τυφλὰ τὰ δὲ παντελῶς ἐπιγελῶντα καὶ μηδὲν ὕφορμον ὑπολείποντα*, propter limum cogita. APPIANUS [76]): *ὃς δυώδεκα στόμασι πλωτοῖς ἐς τὴν Κασπίαν θάλασσαν ἐρεύγεται.* PLUTARCHUS in Pompejo [77]): *Κύρνος ποταμὸς ἐπ' Ἀρμενίας ἐξίησι δώδεκα στόμασιν εἰς τὸ Κάσπιον.* Horum vero ostiorum plurima procedente tempore oblimari necesse

75) C. l.

76) De bello Mithrid. p. 248.

77) P. 1164.

cesse erat, unde recentiores eorum mentionem non faciunt.

Neque tamen praetereundus est POMPONII MELAE locus [78]), qui multum negotii interpretibus facessit. Legitur: "Cyrus et Cambyses, ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi, in diversa abeunt, perque Iberos et Hyrcanos diu et multum distantibus alveis defluunt: post non longe a mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum sinum uno ore perveniunt". Inextricabilis error! Primum enim Cyrus et Cambyses nullo modo vicinis fontibus oriri, multo minus uno ore effundi possunt, interfluente quippe Araxe Armenio. Deinde duo fluvii in Coraxico monte orti, qui mons situs est in confiniis Iberiae et Armeniae, per Iberos alter, alter per Hyrcanos cursum tenere non possunt, ne dicam confluere; interjacet enim jugum Caucasiorum montium. Nec ullus, quantum scio, Hyrcanos Iberis vicinos fecit, cum Armenia utros-

78) De situ Orb. lib. III. c. 5.

utrosque separet, nec minus POMPONIUS MELA, qui Araxem recte per Armeniam in mare Caspium deducit et Hyrcanos ad ipsum os maris Caspii, i. e. in meridionali parte habitare eodem capite scribit; quamquam, quod supra jam perstrinximus, ad eundem Hyrcanum sinum Moschos et Albanos locat, tanto terrarum tractu diremtos et prorsus in altera maris parte habitantes. Cyrus denique per Iberos cursum tenens, trans Araxem Armeniae, Hyrcanum, i. e. meridionalem maris sinum petere nullo modo potest. Credas eum cogitasse de Cyro Mediae; at is nec in Coraxico monte oritur nec Iberorum terram permeat; ad quod accedit, quod neque Araxes per Hyrcanos defluit, sed per Armeniam, teste ipso auctore. Multo minus aliquem eorum fluviorum Cambysem illum esse putaveris, qui a septemtrione in Cyrum illabuntur, cum per Hyrcanos et in meridionalem maris Caspii sinum effluat iste Cambyses secundum auctoris opinionem. Sed fortasse Cambyse in Araxem Armeniae mutato, quod propter

nomen

nomen Araxis ad varios fluvios translatum fieri poterit, rem explicare tibi videris; at huic repugnat, quod POMPONIUS cursum Araxis istius recte describit in eodem capite, ac subjungit quidem, "tranquillus et tacitus in illud litus, itaque non in Cyrum elabitur". Negat confluentes habere Cyrum et Araxem, illum vero Cambysen cum Cyro in unum lacum coire memorat; nec ullum invenitur vestigium Cambysem aliquando vocatum fuisse Araxem. Hic vero quo me vertam nescio; nec ISAACUS VOSSIUS lucem huic loco admovit. Mihi quidem tam insanus esse videtur, ut nemo ipsi mederi possit, nec omnino medela dignus, imo potius, cum pejoribus etiam quam cetera quae POMPONIUS de mari Caspio deque regionibus et populis circumjacentibus tradit, vitiis scateat, prorsus abjiciendus esse videtur; id quod jam dudum factum esset, si apud recentiorem scriptorem legeretur.

Ex omnibus vero qui Cyro admiscentur amnibus unum tantum hic adferre li-

 ceat:

ceat: *Alazoniam*. Apud STRABONEM vocatur [79]) Ἀλαζώνιος ποταμός. PLINIO vero [80]): Alazon, qui simul eum terminum Iberiae et Albaniae facit. "Planitiem omnem a Cyro usque gens Albanorum tenet: mox Iberum discreta ab iis amne Alazone in Cyrum e Caucasiis montibus defluente". Hunc Alazonium anonymum adfert PTOLEMAEUS [81]) his verbis: πόλεις δὲ εἰσὶν ἐν τῇ Ἀλβανίᾳ καὶ μεταξὺ μὲν τῆς Ἰβηρίας καὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ ἀπὸ τοῦ Καυκάσου εἰς τὸν Κύῤῥον ἐκβάλλοντος, ὃς παρ' ὅλην τήν τε Ἰβηρίαν καὶ τὴν Ἀλβανίαν ῥεῖ διορίζων τὴν Ἀρμενίαν ἀπ' αὐτῶν. CELLARIUS [82]), PLINII verba urguens, hunc anonymum fluvium esse posse Alazonem propterea negat, quod PTOLEMAEUS μεταξὺ τῆς Ἰβηρίας καὶ τοῦ ποταμοῦ sex urbes et vicos locet; adparere hinc eum non esse terminum Albanorum et Iberum

sed

79) XI. p. 764.
80) Hist. nat. lib. VI. c. 10.
81) Lib. V. c. 12.
82) In orb. antiq. lib. III. p. 374.

ſed potius Albaniae totum eſſe adſignandum; illum igitur Alazonium, finem Iberiae, propiorem occidenti eſſe debere iſto anonymo fluvio. Mihi quidem in geographia iſtorum regionum parum referre videtur, an ultra Alazonium ſex oppidula ignobilia Albaniis adſcribantur necne. Quis enim vel recentiorum, vel veterum auctorum Iberiae, Albaniae, Colchidis, Armeniae, Hyrcaniae aliarumque terrarum fines tam accurate ad amuſſim deſcripſit, ut in tam parvo ſpatio, quale ſex iſta oppida tenuerunt, haerendum ſit? Imo vero PTOLEMAEUM hunc anonymum fluvium terminum Iberiae et Albaniae habuiſſe, ex ſuis ipſius verbis patere videtur, ni magnopere fallor. Scribit enim: ὃς παρ' ὅλην τὴν Ἰβηρίαν καὶ τὴν Ἀλβανίαν ῥεῖ, quod aliter verti non poteſt niſi: fluit praeter Iberiam et Albaniam, id eſt, in confiniis Albaniae et Iberiae, minime vero per Albaniam et Iberiam. Sic enim praepoſitio παρὰ nunquam uſurpatur; ſcribendum fuiſſet διὰ, uti manifeſtiſſimum exemplum e STRA-

 BONE

BONE [83]) petitum docet: Ῥεῖν δὲ τὸν Ὦχον οἱ μὲν διὰ τῆς Βακτριανῆς φασὶν, οἱ δὲ παρ' αὐτήν. Quodsi tamen alium fluvium terminum istum esse mavis, offert sese amnis Jor, qui per provinciam Kacheti labens cum Alazone in Cyrum infunditur; lubentius tamen calculum Alazoni adjecerim, cujus nomen Alazon in hodiernis tabulis geographicis inscriptum invenitur.

Si a Cyro, omnium auctorum consensu meridionali Albaniae termino, a quo mare Caspium vocari incipit secundum PLINIUM [84]), septemtrionem versus per Albaniam *progredimur*: sequitur secundum PTOLEMAEUM:

XIV. *Albanus.* Aliter PLINIUS, is enim a septemtrione incipiens [85]) fluviorum per Albaniam decurrentium hanc seriem constituit: Cassius sive Casius, Albanus; deinde Cambises in Caucasiis ortus montibus, mox Cyrus in Coraxicis. Collocat igitur inter Cyrum et Albanum Cambisem quen-

83) XI. p. 788.

84) Lib. VI. c. 13. cf. cap. II.

85) Ibidem.

quendam, cujus nemo praeter Plinium et Dionem Cassium mentionem fecit; nisi eundem esse vis cum illo, quem, uti vidimus, Mela, per Hyrcanos inepte ducit; fluit vero Plinianus Cambises septemtrionem propius quam Cyrus, Pomponianus meridiem. Araxes Armeniae sub isto Cambise latere non potest propterea quod Araxes Cyro meridiem propior est, et Plinius cursum Araxis Armeniani, ut vidimus, bene noverat. Quapropter aut ille Cambises obscurissimus rivus inter Cyrum et Albanum est, aut Plinius Cambysen e Media, vicinitate alterius Cyri deceptus, huc transtulit. Illa tamen verior esse sententia videtur, cum Dio Cassius aperte talem amnem in septemtrionali parte Cyri exstitisse scribat [86]; Pompejus scilicet expeditionem contra Albanos suscepturus τὸν Κύρνον ἢ πορεύσιμος ὑπὸ τοῦ θέρους ἐγεγόνει, πεζῇ διέβη — κἀντεῦθεν πρὸς τὸν Καμβύσην πορευόμενος .... —

Ptole-

86) Lib. XXXVII. c. 3. p. 113. ed. Reimar.

PTOLEMAEUS *ostia* Albani amnis ponit long. gr. 80° 39′, lat. 45° 30′, quod clima, cum supra jam viderimus PTOLEMAEUM hasce regiones quatuor seu quinque gradus longius versus boream removisse, cum *situi* ejus amnis convenit, qui per terram Lesghistan delabens, nomine Samur seu Jaloma, sub lat. gr. 41° 30′ in mare volvitur, istius regionis longe nobilissimus. Hoc vero extra omnem dubitationem positum foret, si quod multi contendunt, probari posset: urbem Albanam, quam PTOLEMAEUS *triente* unius gradus ultra Albanum fluvium *collocat*, hodiernam esse Derbent, sitam versus boream trans Joloma fluvium. Quod tamen, cum alibi mentionem istius Albanae oppidi factam non reperiam, adfirmare non ausim. OLEARIUS [87]) istum fluvium, qui ipsi ab urbe Tarku profecto oblatus est, nomine Kassu, sub gr. lat. 43° 30′, nescio quibus rationibus ductus, Albanum vocat. Obstat vero clima fluvii et quod, si hoc ita

87) Pers. u. Moscow. R. lib. VI. c. 17.

ita sese haberet, per tam ingentem litoris tractum inde a Cyro usque ad Albanum, nullus alius fluvius flueret; nec reliqui amnes inde a Koisu, iis, quos PTOLEMAEUS usque ad Rha fluvium adfert, sufficerent. Sequitur:

XV. *Cassius* PLINII, sive *Casius* ostia secundum PTOLEMAEUM sub long. gr. 82° 30′ lat. 46°. Fluit igitur dimidio gradu propius septemtrionem quam Albanus. Erui omnino nequit, quosnam ex hodiernis rivis istius litoris haec PTOLEMAEI nomina designent; neque horum fluviorum dispositio ex climate PTOLEMAEI petenda, quippe quo vix ille infelicius aliud descripserit. In meridionali enim maris Caspii parte, quinque integros gradus latitudinis a vero aberrat; in boreali parte vix duo. Qui error in hoc climate constituendo inde manavit, quod longitudinem maris Caspii pro latitudine habuit. Cyri ostia collocat sub gr. lat. 44° 30′. Soanae, quae est Tereck, uti mox videbimus, sub gr. lat. 47°. Intersunt

tersunt igitur inter Cyrum et Soanam ex ratione PTOLEMAEI duo gradus et dimidius: at inter Kur et Tereck fluvios numerabis quinque gradus. Contra vero cum *Rha* fluvii ostia ponat sub gr. lat. 48° 50′, *intersunt* inter Soanam et Rha duo fere gradus, quod cum vera ratione convenit; quamquam in toto isto littoris tractu, inde á Cyro usque ad Rha fluvium, quem ad quatuor gradus cum triente contraxit, cum septem gradus habeat, trium fere graduum errorem commisit. Videmus igitur Soanam sive Tereck fluvium quasi *terminum* esse, citra quem PTOLEMAEUS in climate describendo magnopere erravit; ultra quem calculus ejus cum vera ratione satis consentit. Quae cum ita sint, ut ad Casium redeamus, nescio omnino qui factum sit, ut quidam hunc amnem pro Manassa rivo sub gr. lat. 42° 50′ in mare Caspium incidente habuerint; si magnitudinem spectas, meliori jure Casius hic dicatur esse Sudak amnis. Sequitur:

XVI.

XVI. *Gerrhus.* Diversus ab ejusdem nominis Scythico fluvio [88]). Hic Gerrhus, ostia habet secundum PTOLEMAEUM [89]); sub long. gr. 84°20′ lat. gr. 46° 20′. Ignobilis apud auctores antiquos; hunc Koisu amnem esse dixerim cum cis Soanam, quam fluvium Tereck esse supra jam monuimus, nullus alicujus momenti fluvius inveniatur. Koisu vero ex OLEARII testimonio [90]) Albim fere aequet; quod quidem satis vage dictum est, quaeritur enim quae pars Albis Gerrho non major sit. Longitudo autem cursus Gerrhi et Albis fluvii vix conferri possunt. Ceterum aquam hujus Koisu tum OLEARIUS tum TAVERNIRIUS turbulentam, et rapidissimam esse consentientes narrant. Sequitur:

XVII. *Soana* seu rectius *Soanas*; apud unum PTOLEMAEUM occurrit. Ostia secundum illum auctorem sub long. gr. 86° lat.

88) De quo vide HEROD. lib. IV. 19. 20. 47. PLIN. IV. c. 12. et al.

89) Lib. V. c. 12.

90) C. l.

lat. 47°. Soanam vero esse fluvium Terek primum hinc patet, quod PTOLEMAEUS eum [91]). Albaniae et Sarmatiae terminum esse dicit. Hoc vero adprime quadrat in fluvium Terek; is enim non solum duas terras natura sua prorsus diversas, verum etiam duos diversos populos distinguit, Circassios scilicet (nostratibus Tcherkessen) et Turkomannos seu Tchruchmenas in deserto, quod Cuma permeat, vagantes. Deinde PTOLEMAEUS Soanam secundum brachium Caucasi, ex occidente in orientem porrectum, deducit, quod non minus cum *cursu* Terek fluvii congruit. Is enim Caucasi radices et vastissimam illam planitiem, quae desertum Cumanense dicitur, medius interfluit. Nec omnino verosimile est, diligentissimum auctorum alium amnem in radicibus septemtrionalibus Caucasi memorasse, omisso maximo omnium Terek. Jam apud TAVERNIRIUM finis Comaniae et Moscovitici imperii esse dicitur. Recentioribus temporibus GULDENSTADTII, FALKII et GME-

LINI

91) Lib. V. c. 9. As. tab. II.

PLINI opera praesertim innotuit qui fontes sub gr. long. 62° 20′ lat 43° collocant, ostia vero lat. 44°. Aestivo tempore alveus aquis adeo destitutus esse solet, ut navigia ferre non possit; contra plenior est verno tempore: unde nunc decem tantum, nunc centum modulos marinos latus est; quod in omnibus fere, vel maximis, Caucasiis amnibus, accidere, jam supra monuimus. Russi ad hunc fluvium castella contra barbaros in Caucaso habitantes exstruxerunt [49]). Hi amnes erant Albaniae; ex Sarmaticis fluviis, primus nunc sequitur:

XVIII. *Alonta* seu *Alontas*. PTOLEMAEUS, cui soli memoratur, ejus ostia ponit sub long. gr. 86° 30′ lat. 47° 40′. Profluit igitur ex deserto Kumanensi, cum verosimillimum videatur Soanam esse fluvium Terek. Sed nihil amplius ab auctoribus de hoc fluvio traditur. Sequitur:

XIX. *Udon*. Nec hujus fluvii quantum scio, praeter PTOLEMAEUM quisquam mentio-

92) Cf. GEORGI Beschreib. d. r. R. tom. I. p. 292.

mentionem fecit. Habet tamen PLINIUS 93) populum Udinorum de quibus ita: "ab introitu, sc. septemtrionali maris Caspii, dextra, mucronem ipsum faucium tenent Udini Scytharum populus; dein per oram Albani". Vix dubitari potest quin Udon fluvius ad hos Udinos pertineat. Secundum PTOLEMAEUM habent ostia long. gr. 87° lat. 48° 20'. Ad alterutrum horum fluviorum, Alontam sive Udonem, quum nunc Rha sequatur, necessario referendus est Kuma fluvius, cujus os PTOLEMAEI tempore nondum videtur oblimatum fuisse, cum ne nunc quidem nisi leviter obstructum sit; nam mare tempestatibus sollicitatum fluctus suos longe in alveum Kuma fluvii agit. Ac fortasse non longe a veritate aberramus, si priscis istis temporibus totum illud nunc oblimatum Kuma fluvii brachium, Pod-Kuma dictum, aquas suas habuisse, easque proprio ostio in mare Caspium multo latius tunc versus occidentem porrectum detulisse statuimus. Quo posito habes quo Alon-

tam

93) Hist. nat. lib. VI. 13.

tam et Udonem referas; illum nempe ad Pod-Kuma, hunc ad Kuma fluvium. Praeter hos enim in toto isto tractu nullus aliquo nomine dignus invenitur amnis. Sequitur.

XX. *Rha* fluvius seu *Volga*. Hujus tanti fluminis rarissima apud veteres injicitur mentio. Praeter PTOLEMAEUM enim et AMMIANUM MARCELLINUM 94) nullus antiquus scriptor, expressis verbis hunc fluvium memorat, nisi suspectum POMPONII MELAE locum 95) de quo mox plura, huc traxeris. Neque tamen veteres omni hujus fluvii notitia destitutos fuisse jam supra cum de Araxe HERODOTEO dissereremus, monstratum est. HERODOTUM enim ipsum, et ARISTOTELEM 96) et anonymum auctorem peripli Ponti Euxini 97) Rha fluvii sub nomine Araxis aliquam, licet incertam et fluxam, notitiam habuisse verosimillimum est;

94) Lib. XXII. c. 16.
95) Lib. III. c. 5.
96) Meteorologic. lib. I. c. 13.
97) In HUDS. geogr. tom. I.

est; neque negari omnino poterit AGATHEMERO[98]) fluvium Rhos esse Rha sive Volgam. Arabes hunc fluvium nominant Ethel, sive, uti in tabulis ISMAELIS ABULFEDAE scribitur: Etalach vel Elatach[99]); quod nomen derivatur a nomine urbis cujusdam in terra Chozar ad mare Caspium sitae. Eodem nomine appellant Volgam sive Rha fluvium JENKINSONIUS et RUBRUQUIS. Hodiernum ejus nomen Volga, omnino magnum et profundum fluvium denotat[300]). Nostris quidem temporibus, GEMELINI, GULDENSTADTII et prius OLEARII opera, qui totum Volgae cursum peculiari tabula geographica itinerario suo annexa descripsit, iste fluvius quo obscurior erat antiquo aevo eo magis inclaruit. Antequam vero, quod propositum nobis est, de Rha fluvio veterum, vel potius unius PTOLEMAEI agamus, paucis verum ejus cursum, qualis recentioribus

98) Lib. II. c. 10. HUDS. geogr. tom. II.

99) Cf. BOCHARTI Phaleg. p. 226.

300) GEORGI Beschreib. des russ. R. tom. I. p. 268.

ribus exploratus est, indicamus; alioquin ista difficilius intelligerentur.

Fontes habet sub gradu latit. 57° long. 51° in montibus Alaunicis; delapsus ex his rivulus anonymus, postquam complures minores lacus inter se cohaerentes permeavit, in lacum se infundit Volgae nomine dictum, ex quo emergens nomine lacus Volga vocatur. Tum statim amnibus et aqua nivali auctus primum rapidi fluminis vehementiam sumit; ubi vero planos campos intravit, tam leniter fluit, ut, cum per singula milliaria Russica senos tantum digitos labatur, per duo millia et nongenta milliaria Russica porrectus, ostia sua centum circiter modulos nauticos (Faden, Klafter = tribus ulnis), fontibus inferiora habeat [1]). Fluit primum orientem versus, deinde magno flexu versus meridiem et proxime ad Zarizam ad Tanaim accedens, quod saepius jam notavimus,

1) Cf. GEORGI Beschr. d. r. R. I. 166.

timus, per septem milliaria eodem cum illo tenore cursum persequitur. Caeterum plenus est fluvius vadosis locis et insulis parvis, quae quidem nunc aqua abundante merguntur, nunc ex aquis eminent. Quae quidem omnia quamquam navigationi multum obesse videntur, vix ullus tamen fluvius est navigantibus magis frequentatus, quam Volga; idem vero latronibus infestissimus: quos quidem captos Russorum immanitas atroci supplicio adficit: suspenduntur enim ad mortem usque per costas. Ad extremum cursus sui, uti supra jam vidimus, ingentia deserta, olim fundus maris, porrecta sunt, unde Rubruquis cum sociis suis fame fere peremtus est. Ostia Volgae collocantur sub gr. long. 66° lat. 46° 22', atque numerus eorum ab aliis ad octoginta augetur, alii uti Jenkinsonius septem tantum statuunt. Nascuntur haec ostia ex insulis innumeris fere majoribus minoribusque in alveo fluvii sitis [a]). Omnia ista ostia inde

a) Olear. IV. c. 12.

inde ab hominum memoria tantopere obli- mata ac vadosa fuerunt, ut navigatio diffi- cillima sit, navigiis autem paullo majoribus enire prorsus non liceat.

Sed videamus, quid PTOLEMAEUS de hoc fluvio statuerit. Verba ejus de Rha fluvio sunt haec: Καὶ ἡ ἐν Ἀσίᾳ Σαρματία περιορίζεται τῇ Σκυθίᾳ παρὰ [3]), τὸν Ῥᾶ ποταμὸν μέχρι ἐπιστροφῆς ἧς ἡ θέσις ἐπέχει long. 85° lat. 54° καὶ παρὰ τὸν ἐντεῦθεν, μεσημβρινὸν μέχρι τῆς ἀγνώστου γῆς. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ ἐκβολὴ πλησιάζουσα τῇ τοῦ Ταναΐδος, ἧς ἡ θέσις long. 75° lat. 56° ὑπὲρ ἣν συμβάλλουσι δύο ποταμοὶ ῥέοντες ἀπὸ τῶν ὑπερβορείων ὀρέων, καὶ ἡ μὲν τῆς συμβολῆς θέσις long. 79° lat. 58° 30′. Αἱ δὲ πηγαὶ τοῦ μὲν δυτικωτέρου αὐτῶν long. 70° lat. 61° τοῦ δὲ ἀνατολικωτέρου long. 90° lat. 61° τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ ἐκβολαὶ long. 86° 30′ lat. 48° 50.

Ex

3) Cf. lib. V. c. 9. tab. II. As.

Ex hisce Ptolemaei verbis patet primum hoc, eum vera Volgae ostia novisse; nam clima illius et Rha fluvii ostiorum nonnisi levi discrimine differunt. De cursu autem Rha fluvii hoc tantum tradit, eum ἐπιστροφὴν habere, unde meridianus, secundum lineam gradus long. 85° usque ad terram incognitam septemtrionem versus productus, et cursus Rha fluvii inde ab ea flexione usque ad mare Caspium, terminus orientalis sit Sarmatiae Asiaticae. Incertum vero relinquitur utrum ex occidente ad istum flexionis locum vergat Rha fluvius, an ex oriente. Nec de fontibus Rha fluvii quidquam notatur. Pergit auctor, aliud praeterea esse istius Rha fluvii, prope Tanaidos exitum, ostium et supra hoc duos amnes anonymos, quorum fontes in Hyperboreis montibus collocat, confluentes habere quorum tamen nec nomina nec ostia prodit; unde haec a Rha fluvio prorsus aliena esse videntur. De fontibus autem Rha fluvii omnino tacet. Haec manifestissime in verbis Ptolemaei insunt. Quapropter

propter magnopere errant, qui in tabulis geographicis duo hujus nominis fluvios, orientalem alterum, alterum occidentalem ex Hyperboreis montibus derivatos in unum alveum coeuntes faciunt, quo delati in mare Caspium exeant. Falsum hoc; PTOLEMAEI verba enim: ἐςὶ καὶ ἑτέρα τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ ἐκβολὴ πλησιάζουσα τῇ τοῦ Ταναΐδος, aperte docent, altero ostio Rha fluvium in Maeotidem paludem sese effundere. Nusquam praeterea PTOLEMAEUS duplicis Rha fluvii mentionem facit; quare absurdum est, duobus istis fluminibus confluentibus nomen Rha tribuere [4]).

Sed quis non videt, quantis difficultatibus ista PTOLEMAEI Rha fluvii descriptio laboret, praesertim quod alterum Rha fluvii ostium attinet, quod prope Tanaïdos ostium collocatur. Si enim occidentalis Rha fluvii pars in Maeotidem prope Tanaim influeret, haec

4) Cf. SALMAS. exercit. PLINIAN. p. 796. 800.

haec profecto, tam ingentem terrae tractum emetiens, quaſi alter Rha fluvius eſſet, eodem certe jure quo Tanais ipſe; ſed, quod vix dum monuimus, ubique de uno tantum hujus nominis fluvio loquitur auctor, nec usquam, quamquam deſcribens Phthirophagorum ſeu Mithridatis regiones totamque interjacentem Sarmatiam Aſiaticam, quam tamen iſtud occidentale Rha fluvii brachium neceſſario permeaſſet, ne verbo quidem adnotat, hoc brachium Maeotidem et Tanaim petere. Nec clima in litus Maeotidis et Tanaidis oſtiorum vicinitatem quadrat, quum borealis maxime Maeotidis pars iſto altero oſtio multo propior meridiem ſit. Qui vero, ut hanc difficultatem vitent, occidentalem Rha fluvii partem in ipſum Tanaïm influere credunt [5]), ipſis auctoris verbis vim inferunt; ſcriptum enim legitur: ἐςὶ ἑτέρα τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ ἐκβολὴ πλησιάζουσα τῇ, ſc. ἐκβολῇ, τοῦ

Ταναΐ-

5) Uti Bayerus in Opuſculis ed. Klotzius. p. 70.

Ταναΐδος. Itaque pars ista tantummodo πλησιάζει ἐκβολῇ Tanaïdis, non infunditur in eum; minime igitur cogitari potest de regione ista ad hodiernam Zarizyn, de quo plures auctores, ARISTOTELES et auctor incertus Peripli Ponti Euxini loquuntur, cum dicunt Tanaim ex Araxe profluere, quippe quae multo propior Boream ostiis Tanaidis. Quodsi in explicando auctore ea tantum statui deberent, quae nos quidem meliora edocti vera esse scimus, sequeretur ex iis, quae de situ alvei Volgae multo depressiori quam Tanaidis, diximus, Rha fluvium nullo modo in Tanaim influere posse; sed ne ex PTOLEMAEI quidem ratione hoc fieri posse patet; interposuit enim Rha fluvio et Tanaidi Hippicos et Ceraunios montes, ut ista altera Rha fluvii ἐκβολὴ ostio Tanaidis adpropinquare nequeat. Accedit quod, cum ex tot periplis Ponti Euxini et Maeotidis paludis, in tanta veterum auctorum frequentia, qui Maeotidem diligentissime descripserunt, accuratissime, quae veteres de Maeotide scie-

 bant

bant, haurire liceat, nullum tamen invenimus, qui, praeter Tanaim fluvium aliquem ex istis regionibus, ne dicam alveum *ipsius* Rha, in Maeotidem derivarit. Quae cum ita sint cum Isaaco Vossio[6]) aliisque pro: ἐκβολὴ legendum censeo: ἐπιστροφή· ut sit: est et alia Rha fluvii flexio ad Tanaidis flexionem accedens. Hoc enim adprime cum climate istius flexionis congruit, quam Tanais et Volga ad Zarizam sive Zarizyn faciunt, ubi ad dimidium itineris diurni alter alteri appropinquat. Confirmatur haec conjectura eo, quod proxime antecessit: ἐπιστροφή, illud vero: ἑτέρα ἐκβολὴ, non habet quo referatur. Nam si de ostio intelligi voluisset Ptolemaeus, scripsisset ἐκβολαί; nunquam enim singulari numero ista vox ab eo hoc sensu usurpatur, ut in eodem capite: Ἀλόντα ποταμοῦ ἐκβολαί, Οὐδῶνος ποταμοῦ ἐκβολαί, Κύρακος ποταμοῦ ἐκβολαί, non ἐκβολὴ scribit. Praeterea quod Ptolemaeus scribit, supra istam ἐκβολὴν

6) Ad Melam, lib. III. c. 5.

ἐμβολὴν duo flumina confluere, iſtam vero ἐμβολὴν Tanaidis oſtiis propinquam dicit: horum quoque confluentium amnium aliqua mentio apud antiquos auctores occurrere debebat; ſi vero ſupra iſtam ἐπιστροφὴν Volgae ad Zarizam, verſus Tanaim, confluentes iſtorum amnium conſtituimus: mirandum non eſt, totam antiquitatem ipſorum fuiſſe ignaram. Apparet denique auctorem priori flexioni verſus orientem, uti ex climate patet, oppoſuiſſe iſtam ἐπιστροφὴν meridionalem, πλησιάζουσαν τῇ τοῦ Ταναΐδος ſc. ἐπιστροφῇ. Firmare hoc licet duobus locis, altero Pomponii Melae [7]) altero Ammiani Marcellini [8]). Mela ſcribit: "Multi in eo ſinu, ſc. Caspii, magni parvique amnes fluunt, ſed qui famam habet ex Cerauniis montibus uno alveo deſcendit, duobus exit in Caſpium Rha. "Huic, Tanaidi ſc., Rha vicinus eſt amnis". Videmus utrumque auctorem occidenta-

7) Lib. III. c. 5.
8) Lib. XXII. c. 16.

cidentalem Volgae sive Rha fluvii alveum, ad Maeotidem versum, prorsus ignorare. Mela diserte duobus alveis in Caspium sinum eum exire refert; Ammjani autem verba similia sunt iis quibus Ptolemaeus utitur, ἐπιστροφὴν πλησιάζουσαν τῇ τοῦ Ταναΐδος dicens. Tertium addere possemus testimonium Agathemeri [9]), qui inter Rhymnum et Cyrum in mare Caspium ferri dicit Rhos fluvium, si, quod verosimillimum est, tibi persuaderi patereris istum Rhos fluvium esse Rha; tunc nec auctorem illum occidentalis ἐκβολῆς in Maeotidem mentionem fecisse pateret.

Sed jam videamus de duobus istis fluviis anonymis, quos auctor ex montibus Hyperboreis, fontibus quidem longissime distantibus, profluentes supra illam ἐπιστροφὴν, quod sic legendum nobis videtur, πλησιάζουσαν τῇ τοῦ Ταναΐδος, confluentes habere scribit. Recte quis miretur, quod tanti fluvii, qualis est Rha, fontes alto silentio

9) Lib. II. c. 10.

lentio premat auctor, in his atque similibus alias diligentissimus, qui nullius fere fluvii quamvis remotissimos fontes tacet v. e. Jaxartae, Oxi, Tanaidis; quod idem etiam illorum confluentium amnium ostia non prodat, atque in medio relinquat an terra hauriantur necne, quod absurdum omnino videtur, cum utriusque remotissimos fontes cognoverit. Unum hoc statuere licet, quod omnes viri docti statuunt, ex utrinsque fluvii anonymi confluentibus Rha fluvium magnum exstitisse. Hoc tamen expressis verbis dicere debebat auctor, si revera ita se res habebat; et fortasse vere dixit. Scribit enim: supra illam Rha fluvii ἐπιστροφὴν συμβάλλουσι δύο ποταμοί. Jam vero cum συμβάλλειν de fluviis omnino valeat: admisceri, infundi, confluere: incertum est utrum aquas suas in unum conjungant an in Rha fluvium incidant. Miror igitur quod omnes hoc de mixtione ipsorum fluviorum inter se acceperunt, et in hujus loci difficultate laborarunt, etsi anonymos istos fluvios in Rha fl. inferrent,

nemo

nemo vero de faciliori altero sensu cogitavit. Satis mihi persuasum est, hunc ipsum in mente habuisse auctorem; si enim illud: συμβάλλουσι δύο ποταμοί, idem esset atque: συμβάλλουσιν ἀλλήλοις δύο ποταμοί, aut hoc ipsum posuisset auctor, ut alio loco [10]), ὁ δὲ Δαργομάνης καὶ ὁ Ὦχος συμμίξαντες ἀλλήλοις, aut medio usus fuisset: συμβάλλονται δύο ποταμοί, quod est: in unum confluunt, miscent aquas. Nusquam enim apud Ptolemaeum et Strabonem activam vocem nude tali modo usurpatam legimus, nec omnino graece ita dici posse putaverim; sed ubicunque activa voce utuntur, adjectum est, cui seu fluvio seu mari sese admisceat fluvius aliquis, uti in his apud Ptolemaeum: συμβάλλουσιν εἰς τὸν Ὦξον, Δάργιδος συμβάλλει τῷ Ὤξῳ, ποταμοὶ συμβάλλοντες ἐκείνοις, et apud Strabonem: ἐμβάλλων εἰς τὸν Ὦξον; atque innumera ejusmodi alia exempla videre licet. Verisimile igitur videtur illud: συμβάλλουσι δύο ποταμοί minime verti

10) Lib. VI. c. 11.

verti debere: confluunt. Cur vero non adjicit auctor, cuinam admisceantur? Credo quia vix aliquot verbis interjectis Rha fluvium denuo nominare noluit, cum supervacuum esse putaret, aut paulo negligentius nomen omisit. Sed quocunque modo haec sese habeant, hoc tamen constat: commode verba illa verti posse (es fallen zwei Ströme ein): infunduntur vel admiscentur duo fluvii, sc. Rha fluvio. Cui quidem rei si priores rationes addamus, credi scilicet non posse, PTOLEMAEUM aut Rha fluvii fontes, aut duorum amnium ostia tacuisse: non est quod priori interpretationi calculum adjicere amplius dubitemus. Si vero fontes istorum fluviorum pro fontibus Rha fluvii, ex istis duobus fluviis facti, habemus: clima eorum adprime cum recentiorum computatione convenit. PTOLEMAEUS utriusque fluvii fontes sub gr. lat. 61° recentiores sub gr. lat. 57° collocarint; in quo quatuor isti gradus, quos PTOLEMAEUS addit, sueto, ut saepe jam vidimus, ejus errori imputandi sunt. In hoc vero

magno-

magnopere se decipi. PTOLEMAEUS passus est, quod diversos facit fontes et quidem tanto spatio, quippe alterum collocans sub gr. long. 70° alterum sub long. gr. 90°. Jam vero constitutis istis omnibus, totius Rha fluvii cursum secundum PTOLEMAEUM uno quasi oculorum ictu percurramus. Non habet auctor Rha orientalem et occidentalem, sed duos anonymos fluvios, quorum occidentalis inde a fontibus suis verum cursum Volgae fere tenet; inde a confluentibus fiunt Rha fluvius. Ac flexum ejus versus orientem, appropinquationem ad Tanaïm, cursum in mare Caspium, ostia denique recte omnino descripsit auctor, ut omnia cum iis conveniant, quae de Volga diximus. Quod autem alterum orientalem fluvium adtinet, is alienus quidem a Volga fluvio, sed, quod verosimillimum est, ad flumen Kama referendus, qui, ex orientali plaga profluens, sub 55° gr. lat. fere Volgae admiscetur, quod adprime cum PTOLEMAEI computatione congruit, qui utriusque anonymi fluvii confluentes sub gr.

lat.

lat. 58° 30′, noto trium graduum errore, ponit. Patet inde PTOLEMAEUM, adsumpto amne Kama, totum Rha fluvii sive Volgae cursum [11]) accuratissime descripsisse.

XXI. *Rhymnus* sive *Rhymnicus* graece Ῥύμμος. PTOLEMAEUS hunc fluvium ex montibus Rhymnicis, supra mare Caspium sitis derivat, qui procul dubio, uti Mons Norossus, τὸ Νόροσσον Ὄρος, ad jugum istorum montium pertinent, qui dicuntur Ural. Infert se Rhymnus mari Caspio [12]) secundum PTOLEMAEM long. gr. 91° lat. 48° 15′. Ex iisdem vero Rhymnicis montibus et alios amnes, ab utroque Rhymni fluvii latere, profluere memorat auctor, partim Rha fluvio, partim ab altero latere Jaici sese admiscentes. Dubitari non potest, quin Rhymnus sit Jaïk, cujus fontes ab recentioribus sub lat. 54°, ostia vero lat. gr. 47° collocantur [13]). Nullus enim

11) Lib. VI. c. 14.

12) Cf. AGATHEM. comp. expos. geogr. lib. II. c. 10.

13) Cf. GEORGI Beschr. tom. I. p. 261.

enim est alicujus momenti fluvius inde a Volga usque ad Jaik amnem qui in mare Caspium influat; ille vero haud obscuri nominis est, quippe per duo millia Russicorum milliariorum cursum suum continuans. Utriusque desertis salibus impletis et lacubus salsis cingitur.[14]), quare nec solum ullo modo coli potest. Hanc vero salsedinem SIMON PETRUS PALLAS magis fontibus salsis ibi scaturientibus quam aquae marinae tribuit [15]), quem omnino de cursu Jaik amnis confer.[16]). Geographos non latet recentissimis temporibus hunc fluvium nomine suo esse privatum. Post seditionem enim Cosacorum ad Jaik amnem habitantium, flumen, urbs, totusque populus montis nomen sumere coactus est, ut ne nomen quidem seditionis superesset; unde vocatur hodie Jaïk: Ural. Ad hunc fluvium

14) Cf. PALLAS Reisen durch verschiedl. Pr. d. r. R. tom. I. p. 298 et 99.

15) P. 426.

16) P. 403. 432 et 433.

vium evoluta sunt ossa Elephantorum et prope urbem Saratschinsk ruinae habitationum inventae [17]. Praeter ea autem, quae supra attulimus, nulla apud auctores veteres hujus fluvii reperire potui vestigia.

XXII. *Daix.* PTOLEMAEUS fontes ejus collocat in Norosso monte i. e. Ural, uti vix dum observatum est; ostia vero sub long. gr. 94° lat. 48° 15′. Ex eodem monte Norosso plures amnes in Jaxartem influentes profluunt secundum auctorem nostrum. CELLARIUS [18]) hic omnia turbavit. Is enim Daicem in Jaxartem tendere statuit nimia scilicet levitate, ut in aliis pluribus, ipsius PTOLEMAEI verbis deceptus. Scribit enim auctor: ἀπὸ δὲ τούτου, scil. Νοϱόσσου, ῥεῖ ὅ, τε Δάϊξ καὶ ἄλλοι τινὲς συμβάλλοντες τῷ Ἰαξάϱ-

τῃ

17) Cf. STRAHLENBERGS Beschr. des N. O. As. u. Europ.

18) Orb. antiq. lib. III. p. 884.

τῃ ποταμῷ: nec sentit CELLARIUS diversos esse istos ignobiliores amnes a Daice. In tabulis tamen geographicis iste, sibi ipse repugnans, ostia in mare Caspium detulit. Ceterum non dubitaverim, quin hic fluvius sit hodiernus amnis Jemba; profluit enim ex istis montibus Ural sive Uluy - Tay, qui PTOLEMAEO necessario sunt Rhymnici montes sive Norossum jugum. Non enim a septemtrionali maris Caspii parte alii montes exstant; neque inde ab Ural sive Jaix fluvio usque ad Jaxartem tantus occurrit amnis. Praeterea etiam clima fluvii Jemba ostiorum adprime cum calculo PTOLEMAEI ostia Daicis constituentis convenit. Recentiores enim illa ponunt sub lat. gr. 47° PTOLEMAEUS sub 48°; at istam unius gradus differentiam jam supra in Rhymno fluvio vidimus, cujus ostia idem prorsus et apud PTOLEMAEUM et apud recentiores clima habent, quod Daicis sive Jemba amnis ostia. Ad fontes usque PTOLEMAEUS non adscendit; recentiores eos collocant sub

50°

50° lat. gr. [19]). Cursum satis rapidum ad ortum primum, dein ad occasum flectit Jemba. Alveum ejus haud profundum quidem, at piscibus frequentissimum esse perhibent. Ripae quas alluit prorsus diversae ab iis sunt, quas Jaik seu Rhymnus habet; sunt enim foecundissimae. Jam apud JENKINSONIUM ut magnus fluvius memoratur Yemba sive Yem vel Yemin, quod nomen Turcomanni huic amni indiderunt; in quo quidem ille consentit cum GUILIELMO DE RUBRUQUIS societatis Fratrum Minorum; is enim inde a Jaix sive Ural fluvio versus orientem profectus, octo dierum itinere confecto, ad ingentem quendam fluvium se pervenisse scribit, quod ad nullum alium, nisi ad fluvium Yem, recte referri potest. Haec hactenus.

Inde ab hoc fluvio usque ad Jaxartem, si obscuros quosdam rivulos excipis, nullus

19) Cf. mappa geogr. quam exarandam curavit KYRILLOCO.

nullus est neque mare Caspium, neque lacum Aral augens amnis, de quo disputare operae pretium sit; partim desertis arenosis ac sale imbutis absorbentur, partim Jaxarte hauriuntur. Quare et huic de fluviis maris Caspii capiti, et universae de hoc mari disputationi finem imponimus.



